GLOUCESTERSHIRE COUNTY LIBRARY
Class 574.962
Copy a
H2C36
Vol I

Smithsonian Institution Libraries

Purchased from the

CULLMAN ENDOWMENT

PROSPER ALPINUS. Marosticensis
PH. & MED. ac PROFESSOR MEDICINAE PATAVINUS.

R. Blokhuysen fecit.



PROSPER ALPINUS. Marosticensis

PH. & MED. ac PROFESSOR MEDICINAE PATAVINUS.

R. Blokhuysen fecit.

PROSPERI ALPINI,

MAROSTICENSIS,

PHILOSOPHI, MEDICI,

In celeberrimo Lyceo Patavino Pharmaciæ Profeſſoris Ordinarii, Hortique Medici Præfecti,

HISTORIÆ ÆGYPTI NATURALIS

PARS PRIMA.

Qua continentur

RERUM ÆGYPTIARUM

LIBRI QUATUOR.

OPUS POSTUMUM

nunc primum

Ex auctoris Autographo, diligentiſſime recognito, editum; atque ex eodem Tabellis Æneis XXV. illuſtratum & uberrimo Indice auctum.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud GERARDUM POTVLIET,

MDCCXXXV.

...CES. LIBRARIES
Class 4962
Copy (Vol. 1.)
...UNTY LIBRARY
HECEF

QH
195
E4
A47
1735
PART 1
SCNHRB

JOANNI EMO,

Patritio Veneto, Ædis Divi Marci Procuratori, Bartholomæus Sellari

S. D.

Cum ſæpe cogitarem, Senator Præſtantiſſime, qua ratione quod exoptabam votis omnibus poſſem efficere, ut publica aliqua ſignificatione meam in Te ſummam obſervantiam & Tibi, & omnibus notam facerem, videremque non eam eſſe in me facultatem, ut aliquid ipſe proferre poſſem, quod

Nomi-

DEDICATIO.

Nomini Tuo dicatum teſtatam faceret hanc meam in Te voluntatem, præſertim cum mea me vitæ ratio ab ineunte prope ætate ſuſcepta alio avocaſſet; dolebam acriter vicem meam, quærebamque aſſidue qui mihi facem præferret, & viam aliquam commonſtraret, qua ad id, quod tantopere cupiebam, aliquando pervenirem. Ecce autem dum perſto propoſiti tenax, occaſio oblata mihi benignitate Viri inter Patavinos non ſolum genere, ſed etiam litteratura nobilis, Ludovici Campolongi, qui cum plurima præſtiterit mihi, & adhuc præſtet ſingularis humanitatis officia, etiam illud addidit, ut copiam faceret Bibliothecæ ſuæ; in qua magna cum voluptate frequenter verſatus, inter alios egregios Codices, Opus Manuſcriptum animadverti de rebus Ægyptiis a Proſpero Alpino compactum, Philoſopho ac Medico magni nominis, in Gymnaſio Patavino olim Pharmaciæ Profeſſore, Hortique Medici Præfecto; quod cum ſemel iterum ac ſæpius libentiſſime perlegiſſem, digniſſimum viſum eſt quod e tenebris erutum lucem aſpiceret; propterea quod & utiliſſima multa contineat & jucundiſſima.

Agit enim de victus ratione Ægyptiorum, eorumque balneis, exercitationibus, cibo, potu, temperamento atque habitu, morbis quibus conflictantur, medicamentis quibus utuntur: Salem exhibet Ægypti-

ptiacum, atque nitrum, chalcanthum, alumen, lapides, plantas, radices, frutices, arbores; de quadrupedibus, piſcibus, inſectis Ægypti ſermonem inſtituit: Ægyptum inſuper deſcribit doctiſſimorum virorum monumentis adeo celebrem, urbeſque præcipuas regionis illius, quas ipſe obivit, pyramides ejus, ſepulchra, regimen, opes, ludos, populorum mores, ac religionem: Nili præterea fluminis incrementum, dimenſionem, inciſionem ad agros irrigandos ob oculos ponit, aliaque pertractat, quæ mirum quantum prodeſſe poſſint, & inquirentibus eruditionem, & Medicinam facientibus.

Hæc itaque mente reputans enixe rogavi, perpulique Virum cætera comem, deque litterarum gloria apprime ſollicitum, ut, quando poſſet litterariam Rempublicam locupletare, quæ tanto bono careret, hanc mihi veniam daret, ut Codicem Alpini publici juris facerem. Cum impetraſſem, nullam moram interpoſui quin ſtatim opus eximium typis committerem. Id autem eo feci libentius quod mearum partium ſemper eſſe duxi, qui Cancellarii munere jam diu fungor in Lyceo Patavino, ea omnia diligenter curare, atque colligere, quæ ad ejus ſplendorem, famam, exiſtimationemque quocumque modo pertinerent. Quod & feci antea pro virili, cum in moribus legibuſque ejuſdem colligendis, ac recenſendis diu multumque deſudavi, cum Profeſ-

ſorum ſeriem indagavi, ac monumenta perluſtravi, & faciam in poſterum quanta maxima potero ſedulitate, dum vivam, dum ætas valetudo vireſque permittent. Quæ me cauſæ impulerint, ut librum viri Clariſſimi ante hac nunquam editum evulgarem, expoſui: quæ vero moverint ut Te Auſpicem appellarem, multæ ſunt, magnique momenti; quas perſequi ſingulas neceſſe non eſt, ut pote minime obſcuras. Movit inprimis longe lateque diffuſa Nominis Tui amplitudo, quæ exteras quoque barbaraſque gentes implevit; quas cum adiiſſes lectus ab immortali Republica, ut Venetam Majeſtatem pro dignitate ſuſtineres, tanta prudentia & maturitate, tanta fide & integritate, tanta eloquentia & dicendi vi ſuſtinuiſti, ut non ſolum cumulate ſatisfeceris Patribus Sapientiſſimis, quibus nihil probatur niſi ſingulare, ſed etiam nationes illas nihil alioqui præter ſe ſuaque extollentes, in admirationem pertraxeris. Non ignota loquor, ſed omnibus manifeſta, & conſilii orbis terrarum ſapientiſſimi judicio graviſſimo comprobata, a quo virtutis tuæ præmium conſecutus es, in Ampliſſimum Ædis Divi Marci Procuratorum Collegium honorificentiſſimo decreto cooptatus. Movit etiam incredibilis illa bonitas naturæ tuæ, qua in alto licet Faſtigio collocatus, neminem ſoles à te rejicere, omnibus præſto es, omnibus benefacis. Qua factum eſt, ut cum Te potiſſimum Patronum habere cuperem,

rem, cujus se præsidio, & auctoritate tueretur Auctor jam inde ab initio præteriti seculi fato functus, quantum mihi timoris incutiebat Magnitudo tua, ne ad Te accedere auderem, tantum mihi adderet animorum perspecta palam incomparabilis humanitas tua, ne hastas abjicerem, deque bono exitu desperarem: præsertim cum universorum testimonio scirem, Te & litteris probe excultum esse, omnigenaque eruditione instructum, qua emines inter Reipublicæ Proceres, & non modo litteras adamare, sed etiam earum cultores impense fovere, atque, omni ope juvare: quem si boni superi studiorum Moderatorem Gymnasio Patavino aliquando dabunt, præclare secum actum judicabunt, reque ipsa sentient qui se litteris abdiderunt, honestissimæque huic palestræ operam navant. Ita enim mihi persuadebam, fieri nullo modo posse, ut qui optimis disciplinis à prima ætate imbutus fuisses, qui flagrares immensa cupiditate discendi, qui longe a Patria maria terrasque emensus multa notasses, Prosperum Alpinum non benignissime excipieres, natum educatumque in sinu felicissimæ Venetorum Reipublicæ, a Principibus expetitum, Medicinam profectum tanta cum laude in ipsa Alma Urbe Venetiarum, mox datum ab Augusto Senatu Gymnasio atque Horto Patavino ejusdem Scientiæ Præceptorem, illum inquam Alpinum, qui eorum quæ scripta reliquit ad memoriam sui nominis sempiter-

nam, ad utilitatem Reipublicæ litterariæ, ad fructum uberrimum ſtudioſorum, pleraque non ab aliis tradita accepit, ſed præſens ipſe vidit, præſens obſervavit, præſens ſcrutatus eſt; quæ autem præſens non vidit, a viris hauſit peritiſſimis, ac fide dignis, qui longo temporis tractu iis in locis verſati, atque in hoc unum intenti ea detexerunt. Quod ſi rem altius repetere velimus, & tempora jam pridem elapſa percurrere, alia occurret peculiaris ratio, eaque graviſſima, cur opus hoc Tibi præcipue debeatur, tuumque proinde ſit; quodque neceſſario conſequitur, non modo Auctorem, ſed etiam Editorem in tuam tutelam recipias. Cum enim ex ea Familia ortum habueris habita inter Nobiliſſimas, ex qua cumplures exiere qui Venetum Nomen rebus præclare geſtis domi, foriſque illuſtrarunt, inter quos (ut de aliis taceam, quos nimis longum eſſet enumerare) is, qui Tibi in eadem Dignitate raro exemplo ſucceſſit, Angelus, Frater tuus, Byzantium miſſus turbulentiſſimis, quæ adhuc durant, illius Imperii temporibus, eadem qua Tu geſſiſti, ſapientia, & dexteritate traditam Sibi difficillimam Provinciam adminiſtrat: tum ille prodiit perenni memoria dignus Georgius Emus, qui, cum centum & quinquaginta ab hinc annis in Ægyptum profectus eſſet, functurus ibi pro Veneta Republica Conſulis munere, hunc ipſum Alpinum quem nunc Tibi ſiſto tanti fecit,

ut

ut eum comitem ſibi ſumpſerit; quocum toto illo tempore ſplendidiſſimæ Procurationis ſuæ conjunctiſſime vixit, quem deinceps protexit ſemper validiſſimo Patrocinio ſuo. De quo Viro illud hoc loco nequaquam ſilentio præterire poſſum, quod idem Alpinus hoc eodem in Opere de illo narrat, tantum illius ſapientiæ famam, tantum auctoritatem apud Ægypti Dynaſtas valuiſſe, ut cum Hebraimus Baſſa, qui tum Ægyptum cum Pro-regis poteſtate gubernabat, maximam, ſpecioſiſſimamque Pyramidem evertere avaritiæ cauſa ſtatuiſſet, quod ibi ingentem auri vim defoſſam latere arbitraretur, ſententiam mutavit mirifica Georgii facundia permotus, qui, quantum periculi Cairo, urbi propinquæ, totius Ægypti facile principi, imineret, ſi ea moles indito atque accenſo tormentario pulvere disjiceretur, apertiſſime oſtendit. Sed quoniam omnem inſtituti mei rationem Tibi aperui, reliquum nunc eſt, ut Te etiam atque etiam obteſter: primum quidem ut conſilium hoc meum æqui bonique facias: deinde, quandoquidem Auctorem ſatis Tibi commendat Opus ipſum, reſpectuſque inſuper Georgii tui, me, qui etſi nihil habeo quo me commendem, ſtudio tamen, & obſequio erga Te nemini concedo, ne ea ſpe fruſtrari patiaris quam cepi, Te mihi propitium futurum vel propter hoc ipſum, quod Majorum tuorum beneficentiam in ſuos imitari conſueviſti. Fac ergo excelſa iſta indole

dole tua, & fave clienti addictissimo, votique compotem redde. Ita & beabis cupientem vivere in Tutela, & sub Auspiciis tuis, & ad alia conanda addes stimulos prosecuturo beneficia tua memoria sempiterna.

Patavii VIII. Calend. Maji MDCCXXXV.

PROSPER ALPINUS

BENEVOLO LECTORI.

Cum ego olim magna cupiditate in Ægyptum profectus medicinæ cauſa, ſcilicet ad Venetæ Nationis Illuſtriſſimæ valetudinem, publico ſtipendio per aliquot annos ibi moratus, ampliſſimam maximeque percelebrem urbem ab Ægyptiis Masvè, & a noſtris Cairum vocatam aſſidue habitaverim, per illud tempus perluſtratis ſæpius illius Provinciæ urbibus, oppidis, villis, fluminibus, lacubus, agrisque; illud unum mihi eveniſſe gaudeo; quod ingenue dicam, & fatebor: eam moram plurimis de cauſis mihi acceptiſſimam, maximæque voluptati ſemper extitiſſe, quod ea occaſione facile Ægyptium Regnum, ab omnibus gentibus olim tam miris laudibus haud immerito concelebratum, & videre & cognoſcere potuerim;

nec

nec minus etiam urbes ipſius celebres, templa, ædes, obeliſcos, pyramides, ſphinges, antiqua ſepulcra, quæ mumias vocant; hominumque mores varios, leges, diſciplinas, artes, Nilum flumen, ejusque famoſum incrementum, quaſi miraculo quotannis, ſoli magnam omnium rerum opulentiam, aëris ſalubritatem, medicinam Ægyptiis conſuetam, morbos inibi familiares, medicamenta illis gentibus cognita, nec non magnas illius Regni divitias, merces familiares, atque aromata ex finitimis provinciis adducta, Turcas Ægypti præſides, militiam, animalia inibi viventia, plantas, atque ea etiam quæ in terræ abditis metallica vocant. De quibus id unum dicam, poſtquam ex ea regione abii, patriæ reſtitutus, uſque adeo earum rerum, quæ in Ægypto obſervavi, recordatione me fuiſſe oblectatum, atque eximia voluptate adfectum, ut me continere haud potuerim, quin de iis omnibus hiſtoriam contexerem. Horum verò quædam, & multorum teſtimonio confirmavimus, quædam relatione & Ægyptiorum, & aliorum Exterorum, qui in ea regione longam moram traxerunt, fideliter accepimus. A multis enim nos fatemur in multis fuiſſe in hac re non parum adjutos, præſertimque ab uno clariſſimo Paulo Mariano, cive Veneto, pro Rege Galliarum inibi Conſulatum gerente, quem tunc temporis ſupra triginta annos in Ægypto mercaturæ cauſa conſtat fuiſſe moratum: à Reverendo etiam D. Antonio Palmerio Anconitano altero presbytero, qui à ſecretis cum multis Venetis Conſulibus triginta & ipſe fere annos in ea provincia vixit. Sed longe majori plus mihi fuit adjumento Joannes Jacobus Mannus Me-

Medicus Salodienſis, qui ante me annos ſeptem apud Venetam nationem, & apud proceres tum Turcas, tum Ægyptios, & Arabes medicinam magna cum laude fecerat, potiſſimumque de multis ad artis medicæ cognitionem facientibus, deque uſitatis nonnullis medendi modis apud medicos Ægyptios annotarat. Hunc ipſum celebrem medicum anno 1580. in Cairi civitate inveni, qui poſt multos menſes in Syriam ad Petrum Michaelem Venetum, conſulem Illuſtriſſimum pro Veneta Natione in urbe Alepo commorantem, ad medicinam faciendam evocatus eſt. Quo tempore in ea provincia medicinæ cauſa Joan. Thomam Minadoum Rhodiginum medicum perilluſtrem, nunc in Gymnaſio Patavino maximo cum ſtudioſorum medicinæ applauſu & concurſu è prima ſede practicæ medicinæ profeſſorem, reperit. Per id temporis quo Cairi manſit, mihi fuit is maxime familiaris, atque adeo, ut medendo ambo una ubique locorum ſemper fuerimus. Vir fuit doctiſſimus, in Arabica locutione maxime verſatus, qui paulo poſt ex Alepo Byſantium iter faciens, à Turca milite prætoriano cuſtode ſuo in itinere occiſus eſt. Dolenda ſane amici mors fuit, ſed præſertim ab Arabicæ medicinæ ſtudioſis, quod una perierint commentaria ab eo doctiſſime compoſita in librum ſecundum Avicennæ, in quo egit de ſimplicibus medicamentis. Pollicitus quoque fuerat ſe totum opus Avicennæ correcturum ab innumeris erroribus quibus ſemper ſcatuit, quod ſane immatura morte præreptus perficere non potuit. Dominicus etiam à Rege, qui in Ægypto plures annos moratus, pharmacopola Venetæ nationis, & Chi-

rurgiam exercens, non parum mihi auxilio in multis fuit. Tandem Matthæus Carbonus, qui ſeptennio Cairi magna cum laude & Venetis, & Turcis, atque Ægyptiis medicinam fecit, meam hanc hiſtoriam in aliquibus plantis rarioribus, & ſerpentibus itidem in ea regione familiaribus ad me miſſis, non parum adauxit. Accipe igitur candide Lector meam rerum in Ægypto obſervatarum Hiſtoriam, nunc ſtudioſis evulgatam. Quod ſi tibi grata fuiſſe aliquando intellexero, longe plura polliceor me ſtudioſis evulgaturum, nimirum libros de plantis exoticis nuperrime cognitis, de uſu partium in plantis, atque forſaſſe de Horto noſtro Patavino Medicam Hiſtoriam. Vale.

IN-

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI

CAP.

I. *De iis, quæ Ægyptum celebrem, atque valde admirabilem reddere videntur.*

II. *De Nili Fluminis incremento, dimensione, atque incisione ad agros irrigandos.*

III. *De aquæ Nili Fluminis bonitate, atque præstantia.*

IV. *De Insula Delta, atque de Urbe Alexandria.*

V. *De magna Civitate Cairi, deque rarioribus in ea observatis.*

VI. *De Ægypti Piramidibus, atque de magno Colosso Sphinge.*

VII. *De conditis Ægyptiorum corporibus quæ vulgus Mumias appellat, deque ipsorum Sepulchris.*

VIII. *De Raisit, & Damiata, Ægypti nunc Urbibus.*

IX. *De Calice in Templis Domibusque Ægyptierum, atque de ipsius Historia.*

X. *De Ægypti gubernatione, atque de Turcis, qui præficiuntur Ægyptio regno.*

XI. *De Ægypti opibus, scilicet de reditibus, de equis, de equitibus, atque de ipsorum ludis.*

XII. *De Ægypticrum servis.*

XIII. *De Nubis.*

XIV. *De Stragulis Ægyptiorum, deque ipsorum accubandi modo, deque visis quæ apud eos in usu sunt.*

XV. *De itinere ad Mecham, quod quotannis mense Septembri devotionis & mercaturæ causa fit.*

XVI. *De Comediis quæ in Nili Fluminis incisione fiunt: de Circulatoribus, atque de rusticis mulieribus saltatricibus, & alia ludi genera facientibus.*

XVII. *De cibis quibus Ægyptii utuntur, deque potu.*

XVIII. *De Ægyptiorum temperamento atque habitu.*

XIX. *De*

INDEX CAPITUM.

XIX. *De morbis quibus Ægypti regio divexatur.*
XX. *De Arabibus Ægyptum habitantibus.*

LIBRI SECUNDI

CAP.

I. *De Scientiis quibus Ægyptii delectantur.*
II. *De Mahemetana religione, atque de Lege in qua plerique Maurorum vivunt.*
III. *De Orandi modo, quem Mauri observant, atque de viris Mauris religiosis.*
IV. *De Christianis qui Ægyptum habitant, & primo de Græcis.*
V. *De Christianis Cophtis, & de Reverendis Jesuitis, qui in Ægyptum missi fuerunt a Pontifice Maximo Gregorio XIII. ut Natio Cophta Ecclesiæ Romanæ conciliaretur.*
VI. *De Paulo Mariano Consulatu Gallorum a Pro-Rege Ægypti spoliato, deque Reverendis Jesuitis carceratis, quid fuerit deliberatum.*
VII. *De Christianis Cophtis qui in deserto Divi Macharii vivunt, vitam asperrimam ducentes.*
VIII. *De Hebræis Ægyptum habitantibus, atque de Natham Coën ditissimo ex vectigalibus portoriis Alexandriæ.*
IX. *De Medicina Ægypti, atque de Medicis Ægypti.*
X. *Quibus modis Ægyptii sanitatem tueantur : qua occasione de victus ratione, de evacuationibus, purgationibus, deque exercitationibus, balneis, capillorum cultu, & de variarum partium præservatione agitur.*
XI. *De Prolificæ facultatis in Viris præservatione, ac proinde de iis medicamentis, quæ ad augendam Venerem Ægyptiis sunt familiaria, agitur.*

LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI TERTII

Cap.

I. *De tractandis in hoc Libro, & primum de Terris, quas Ægyptus producit.*
II. *De Sale in solo Ægyptiaco proveniente, atque de Nitro.*
III. *De Lapidibus Ægypti.*
IV. *De Smaragdis, qui in Ægypto effodiuntur.*
V. *De Vasis Murrhinis, & variis Conchiliorum generibus.*
VI. *De Lapidibus aliis, quibus Ægyptus abundat.*
VII. *De Calchanto, alumine, pompholyge, atque aliis metallicis medicamentis, quæ in Ægypto observantur.*
VIII. *Stirpes, quæ in Ægypto proveniunt.*
IX. *De singulis plantis esculentis apud Ægyptios nascentibus, & primum oleraceæ herbaceæque considerantur.*
X. *De Loti radicibus, quibus Ægyptii quotannis familiarius vescuntur.*
XI. *De radicibus quas Ægypti Culcas appellant, atque nostri colocassias, quibus coctis familiarius vescuntur.*
XII. *De reliquis radicibus esculentis in Ægypto nascentibus.*
XIII. *De plantis Cerealibus, atque de leguminibus quibus Ægyptii abundant.*
XIV. *De plantis non esculentis, quæ in Ægypto nascuntnr, atque de ipsarum usu.*
XV. *De quibusdam aliis fructibus, & arboribus, quibus Ægyptus abundat.*

LIBRI

INDEX CAPITUM.

LIBRI QUARTI

CAP.

I. *De animalibus, quæ in Ægypto vivunt, & primum de volatilibus ibi degentibus.*

II. *De Piscibus qui in Nilo Flumine, & in lacubus Ægypti, atque in mari capiuntur.*

III. *De Insectis animalibus, quæ in Ægypto vivunt.*

IV. *De Serpentibus Ægyptiis Familiaribus.*

V. *De Animalibus lacertosis in Ægypto viventibus.*

VI. *De Animalibus quadrupedibus domesticis, quæ Ægyptiis sunt familiaria, & primum de Equis, Asinis, & Mulis.*

VII. *De Camelis, & Dromadibus, qui in Ægypto aluntur.*

VIII. *De quibusdam aliis quadrupedibus apud Ægyptios viventibus, scilicet de Bobus, Bubalis, Capris, Suibus, Canibus, & Felibus.*

IX. *De quadrupedibus Sylvestribus in ea regione viventibus, quippe de Ursis, Lupis, Vulpibus, Leporibus, Cuniculis, Gazelis, Juvencis Sylvestribus, Apris, Cervis, Gliribus, Muribus, Mustelis, atque de Ichneumone.*

X. *De Elephante, Camelo-Pardali, Leone-Pardali, Tigri, atque Zibetho.*

XI. *De variis Simiarum generibus, quæ in Ægypto observantur.*

XII. *De Cheropotamo, & Hippopotamo, feris in Nilo Flumine viventibus.*

PRO-

PROSPERI ALPINI MAROSTICENSIS

RERUM ÆGYPTIARUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De iis quæ Ægyptum celebrem, plurimumque admirabilem efficere creduntur.

NE complurium rerum maxime admirabilium in Ægypto obſervatarum grata memoria obſolescat, merito hic ſcriptis illa omnia conſignanda duximus. Neque ſingula, in ea regione obſervata, narrare inſtituimus, præſertimque à multis veterum ſcriptorum poſteritatis memoriæ conſignata, ſed ea dumtaxat, quæ nos eo tempore quo ibi moram traximus, & ab aliis obſervata, & nobismetipſis cognita, ſcitu digna exiſtimavimus. Primum

mum autem conſiderabimus quæ Ægyptum celebrem, maximeque admirabilem efficere videntur, ſcilicet cælum iis gentibus & jucundum, & ſalubre, Nilum flumen, urbes, ædes, templa, lacus, viridaria, opes, merces, quæ in ea provincia ex conterminis regionibus convehuntur, Pyramides, columnas, obeliſcos, balnea, antiquorum ſepulcra, bibliothecas, diſciplinas, religionem, plantas inibi familiares, terras, lapides, cæteraque foſſilia iis nota, atque demum & animalia huic provinciæ & domeſtica, & familiaria. Quæ profecto illis, qui & regionum variarum, & diverſorum hominum morum cognitione delectantur, haud injucunda fore credidimus. Namque etſi tot ſæculis Ægyptus apud omnes nationes maxime celebris extiterit, quippè ob cæli ſalubritatem, antiquitatem, urbium numerum, regni amplitudinem, ſitusque pulchritudinem, ſuperba ædificia, Nilum flumen regionem hanc totam opibus ditans, maximèque ob varias diſciplinas, & præſertim ob rerum cæleſtium cognitionem, quibus Ægyptios cæteros alios nationum homines longe antecelluiſſe conſtat: non minus tamen & hoc tempore eam regionem plurimi æſtimandam nobis fuit perſuaſum, tum ob illa quæ diximus, tum etiam quod nova quædam ſcitu digna, & uſus complures apud eos populos poſtea innotuerint: Quæque animos legentium neque parum delectare poſſunt. Jam ad Ægyptum venimus, quæ ideo ab omnibus concelebratur, quia cælo ſubjacet ad gradum ſexageſimum primum ſuæ latitudinis, uſque ad ſexageſimum tertium: Ad altitudinis verò gradum vigeſimum nonum ad trigeſimum uſque fere primum. Salubri autem cælo quamvis calido, neque multum intemperato tota hæc regio gaudet, exceptis diebus fere quinquaginta à Paſchate reſurrectionis Domini, quos Ægyptii Champſim vocant, in quibus venti auſtrales vehementer calidi ſpirant, quique una cum magno caloris æſtu arenas veluti à calore inflammatas in aërem levantes pleriſque Ophthalmias inducunt. At de iis poſterius. Ab hoc tempore poſtea nova æſtas eſſe videtur. Ea gens prole abundat, quæ non ſolum corpore eſt pulcherrima, ſed quæ acutiſſimo etiam & ingenio & judicio valet. Quo illud

ubique

ubique in adagio fertur, cum promptus quis ad reſponſa invenitur, ipſum Ægyptium eſſe. Optima ferè ſemper valetudine gaudent, ni aliquis externus accidat error, tamque longam vitam vivunt, ut complures nonagenarios robuſtiſſimos, vel etiam ad generationem viros potentes inibi ubique locorum invenias. Ægyptii adverſus peregrinos valde humani ſunt, falſoque illis imponitur, exteros homines ſcilicet hoſpitio non libenter ſuſcipere, cum in nulla provincia homines vivere credam, qui libentius ipſis, honorificentiusque advenas amplexentur, ſuo quemque more, & vivere, & veſtimento uti permittentes. In iisdem quoque pietas inſignis maximis laudibus videtur concelebranda, qualem vel etiam Hippocratem, ut in libro de aëre, locis, & aquis legitur, non latuiſſe, conſtat, cum inibi dixerit, regionem Ægypti Græcia eſſe manſuetiorem, illiusque gentis mores & benigniores, & cultiores obſervari. Eſt & ſitus Ægypti pulcherrimus à multis non immeritò maxime laudatus. Etenim ex una parte Erythræum mare habet, & ſinum Arabicum; atque ex altera Ægyptio mari alluitur, per mediamque regionem à meridie ad ſeptentrionem excurrit Nilus, totamque Ægyptum irrigat. Quo fit ut facillime quotanis ex India omnium aromatum genera, aliæque merces magni pretii convehantur. Nili fluminis navigatio quantum delectet, dictu eſt incredibile; cum ad ipſius ripas innumera ſint pomaria miro ordine conſita, quæ Nili aqua perpulchris artificiis irrigua fiunt. Extant & ſegetes ſuo tempore adprime pulchro proſpectu delectantes, tum & florum varietas, quæ in iis fluminis ſuperciliis copioſa, & quaſi luxurians ſpectatur. Hæc omnia excedunt aucupium, & venatio, & varia piscationis genera quibus Ægyptii inibi maxime delectantur. Quod ſi hæc in toto Nilo navigantibus grata ſunt, ad Cairum vero Deltamque vocatam Inſulam tantopere ab antiquis concelebratam, in qua proceræ & complures arbores miro ordine conſitæ cernuntur, itidem navigantibus erunt longè gratiſſima; talisque, ac tantus ex variis arborum, aliarumque plantarum floribus odor exſpirat, exhalatque; ut non injuria Nilum è Paradiſi fluminibus originem habere Ægyptiis fuerit

perſuaſum. Pro quo cum tantæ illis ſit utilitati, & voluptati, grates infinitas quotidie Deo optimo maximo agunt. At de hoc flumine à nobis ſermo accuratior futurus eſt, cum de iſtius regionis temperie præſertim agemus. De qua nunc dicimus, eam calidam, ſiccamque eſſe, minus vero ſiccam obſervari in locis mari adjacentibus. Siccior vero aër iſtiuſce regionis eſt, quo à mare per ipſam remotius itur, atque ſerenior. Ex quo olim Ægyptii merito ob aëris puritatem, claritatemque omnia aſtra in cælo vel etiam minima (quanquam ocularia ſpecillo cryſtallina hac ætate ſolummodo inventa, non habuerint, quibus à Galileo, Florentino Mathematico, in Patavino Gymnaſio perilluſtri, quatuor ſydera errantia nova obſervata, atque cognita ſunt) magna facilitate videre, ac obſervare potuerunt. Nunquam ſane vel hyeme, vel æſtate, vel in aliis anni temporibus, per totum illud tempus, quo in Ægypto viximus, cælum ita obſcurum viſum eſt, ut Sol, Luna, reliquaque alia aſtra, vel etiam ex minimis, orientia, aut occaſum petentia, commode conſpici non potuerint. Cælum itaque in locis à mari remotis, & ſiccius, & calidius eſt, unde mirum non videatur, ſi in iis locis nunquam, vel rariſſime modicum pluat, namque pluvia quam ſemel omnibus annis quibus inibi moram traximus, ſolummodo videre potuimus menſe Novembri, haud major viſa eſt, quam apud nos ſoleat ros æſtivus obſervari. In locis autem mari proxime poſitis, veluti in Alexandria, Raſſit, & Damiata, menſibus Martio, & Aprili largiſſimas pluvias è cælo cadentes vidimus, atque multo plures in hyeme. Quibus mirum non eſt ſi iſthic aër ſit longe humidior atque minus calidus. Vereque dictum eſt in Civitate Cairi aërem eſſe & ſicciorem, & calidiorem, qui (exceptis diebus iis circiter quinquaginta ob ventos Champſinos vocatos à meridie in ſeptentrionem per zonam torridam dictam magno cum caloris æſtu, ut nuperrimè etiam meminimus, tranſeuntes, ſcilicet menſibus Martio, Aprili, Majo, cum Junii medietate, nimirum quoad ſol pervenit ad tropicum Cancri, in quibus aër inæqualis maximè ſentitur) fere per totum annum æqualis, & non immoderatè calidus percipitur, inco-

incoliſque ſatis temperatus, atque ſalubris exiſtit. Verum tamen, ut quicquam peculiare de illiuſce aëris inæquali intemperie dicamus, in Ægypto menſe Martio circa vernum æquinoctium ubique locorum aër incipit fieri admodum inæqualis ex ventis Champſinis, à Cambyſis exercitu arenis iis ventis ſubactis ſuffocato ita vocatis, quaſi venti Cambyſis dicantur, à Cambyſis nomine corrupto, Camſi appellati. Hi tunc temporis flare incipiunt perſeverantque quoad Sol ad Tropicum æſtivum pervenerit. Aliquibus annis brevius, & aliquibus prolixius durantes, finienteſve, nunquam tamen ii venti ultra tropicum cancri, æſtivumve permanent. Etenim hoc tempore perpetuo flare incipiunt venti contrarii, ſcilicet à ſeptentrione, & ab occaſu aërem refrigerantes, Eteſiæ vocati. Hi per totam æſtatem jucundiſſimè, placidiſſimeque ſpirantes, continenter diu, noctuque cæli calorem immodicum temperando, aërem maxime temperatum, & ſalubrem efficiunt. Quo tempore rectè valere ſolent. O ſummam Dei Optimi Maximi Providentiam in Ægyptiorum commodum: namque niſi ii venti, ſcilicet Eteſiæ vocati, ſummè placidi, poſt Champſinos ſpirare inciperent, & continenter aërem refrigerarent, non absque maximo Ægyptiorum damno, & fortaſſe non ſine multorum interitu aër ille ſummè æſtuoſus, maximeque inæqualis, & maleficus adhuc in longius protraheretur, permaneretque. Itaque hic ver ita æſtuoſus, & inæqualis ab iis ventis calorem immodicum ſpirantibus plerumque ſolet incipere circa vernum æquinoctium, & uſque ad tropicum æſtivum perſeverat. Perflant ſane hi venti æſtuoſi continenter diu, noctuque, nonunquam trium dierum intervallo, aliquando quinque integris diebus, & nonnunquam ſeptem, quandoque etiam novem; quod ſi fiat, aër redditur veluti peſtilentiſſimus, quippe qui innumeros ferè in tota civitate Cairi exitiali eo morbo epidemico quem Demelmari appellant (opthalmiis exceptis quæ ubique locorum peſſimè graſſari ſolent) vel etiam unius tantum horæ ſpatio, jugulet. His vero ventis Champſinis finitis, poſtea per aliquot dies, quippe tribus, aut quinque, aut ſeptem, aut denique novem, quoad denuo Champ-

ſini æſtuoſi redeant, ſeptentrionales frigidi valenter ſpirant, ex quo ibi maximæ temporum mutationes fiunt, quare mirum non eſt ſi morbi innumeri, exitialeſque hoc tempore graſſentur. De ſimilibus aëris mutationibus & Ariſtotelem, & Hippocratem locutos fuiſſe, nobis haud injuria viſum eſt, cum dixerint, *Maxime aëris mutationes morbos pariunt.* Hicque aëris morboſus ſtatus, ut etiam diximus, permanet uſque ad ſolſtitium æſtivum, ſcilicet quod die nunc vigeſima prima Junii menſis ſit. Mox, ſublatis Champſinis ventis, Eteſiæ ex ſeptentrione, atque occaſu placidiſſime ſpirare incipiunt, quæ die noctuque ſpirantes aërem adeouſque contemperant, atque æqualem efficiunt, ut per totam æſtatem in qua hæc placida aëris conſtitutio continuat, cuique jucundiſſimus, & ſaluberrimus evadat. Accedit etiam ad augendam eam aëris benignam, ſalubremque conſtitutionem, Nili fluminis augmentum, quod ſeptima die menſis Junii incipit, atque ad finem ferè menſis Septembris perſeverat. Hiſque Eteſiis ventis placidiſſimè ſpirantibus eo profecto tempore in quo auctio fluminis fit, cum Ægyptii optima valetudine utentes maxime gaudeant, vitam in ludis, deliciis, & voluptatibus ducentes, ab omnibus ſolitis laboribus abſtinent, ipſosque ſolatii loco intermittunt. Ab aqua fluminis aucta, ferè Ægypti planities utrinque ad flumen poſita uſque ad menſem Novembrem exundata, ac veluti obruta jacet. Hocque menſe ſolummodo, aqua ex toto abſorpta, terra conſpici ſolet. Tanto enim tempore aqua Nili aucti terræ Ægypti ſupernatat, atque ipſam inundat. Qua ex tota abſorpta plerumque in locis multis, nulla ejuſce terræ, quæ veluti limus apparet, præmiſſa cultura, agricolæ triticum, linum, trifolium, atque legumina ſerunt. Quæ ſemina terræ ſic commiſſa in aqua naſci, & creſcere ſæpius vidimus. Segetes verò omnes uſque adeo cito creſcunt, atque ad maturitatem perveniunt, ut ad finem menſis Novembris ſeges adeo aucta eſſe videatur, quod linum ubique flores produxerit, trifoliumque ita auctum eſt, ut & equis pro pabulo tunc temporis & metent atque viride exibeant pro tuenda equorum valetudine. Metunt, inquam, atque in manuales faſciculos ſiccatum

tum colligunt, atque ad animalium uſum ſervant. Quo pabulo equi Ægyptii non continuò veſcuntur, ſed aliquibus diebus, ipſorum enim hordeum perpetuum illis eſt cum paleis tritis nutrimentum. Triticum verò perpetuo ad Nativitatem Domini ex toto ſpicas profert, quod initio menſis Martii maturum colligitur. Aër menſibus Novembri, Decembri, atque Januario frigidior eſt, ita ut Itali, & Turcæ etiam in ea regione pellibus utantur, quod nimirum aër per id temporis, etſi vere haud multa in ipſo ſit frigiditas (quando inibi nunquam pruina, nunquam nix, nunquam gelu, nunquamque vel etiam grando ab Ægyptiis fuerit viſa) veruntamen aër eſſentiæ ſubtilitate corporum meatibus die ob aliquem calorem apparentem laxatis; plus frigoris quam habeat partibus corporis penitioribus, calidioribuſque profundius penetrando, inducere videtur. Sed de iis nos diligentius ſcripſimus in libris de Medicina Ægyptiorum præteritis annis editis. Eſt præterea Ægyptus maxime amæna, oculiſque gratiſſima, cum perpetuo inibi arbores complures vireant, ut palma, ſycomorus, paliurus Athenei, Acacia, Caſſia fiſtula, Tamariſcus, Lablab, Limonium, malum Aurantium, malum Medicum, Muſæ, atque ſimiliter aliæ arbores, frutices, atque herbæ, præſertim oleraceæ, cujusmodi eſt Collocaſſia, quæ uſque adeo foliorum amplitudine, atque jucunda viriditate in vaſtiſſimis planiciebus luxuriat, ut ameniſſimo ejus aſpectu oculi ſummè delectentur, recreenturque. Non minus quam faciat Saccarinarum cannarum viriditas. Exceptis vite, perſico, malo punico, ficuque, & aliis non multis, reliquæ aliæ ſtirpes in Ægypto nunquam ſolent folia abjicere. Ficum verò quæ in horto ædis illuſtriſſimi conſulis Veneti jam annos multos vixit, per illud tempus quo inibi viximus, ſcilicet quadriennio ferè, obſervavimus ſine foliis in hyeme manere ſpatio dierum vigintiquinque, initioque Februarii hæc nova folia ſemper producebat.

Caput

Caput II.

De Nili fluminis incremento, dimensione, atque incisione ad agros irrigandos.

Sed ad Nilum flumen venimus, cujus præsentia tota illa regio accolitur, fæcundatur, atque ditissima redditur, sine quo non foret Ægyptus habitabilis, cum primis illis temporibus tota ea regio veluti lacuna, palustrisque fuerit, ut rectè etiam Herodotus, atque alii tradiderunt. Nilus vero quotannis limum continue secum multum longa annorum serie in illiusce regionis solum adducendo, paludes, lacusque limo replendo, siccandoque terram illam siccam habitabilem effecit. Quæ veritas eo argumento præsertim videtur confirmari, quod Herodoto, atque aliis referentibus flumen olim octo vel parum plus cubitis auctum satis fuerit ad totam Ægypti planitem aquandam: Quoniam tunc temporis solum Ægypti longe humilius, quam nunc sit, exstiterit. Hac autem ætate Nilus cum ad irrigandum solum Ægyptiacum non nisi decem, & octo cubitibus auctus sufficiat, nobis indicio est, quod istiusce regionis à limo quotannis ex ipso Nilo adducto plurimum terra aucta sit. De quo quidem flumine tria à nobis considerabuntur, scilicet augmentum, ejusdem aquæ dimensio, atque denique incisio, ad agros irrigandos; etenim Nilus flumen æstate accedit hyeme autem recedit, pinguissimo limo ad serendum relicto, in quo sane & Dei donum, & naturæ miraculum valdè mirari licet. Nam cum hyeme ubique locorum flumina augeantur, æstate autem ferè exsiccentur: contra Nilus maximè dum in aëre calores vigent, tum ipse augetur, imbrium autem diebus decrescit. Levat etiam Ægyptios à stercorandi labore, arandi, atque oblimandi agros. Sæpe vidimus mensis Novembris principio nondum aqua à terra ex toto absorpta, projectis in aqua seminibus segetes nasci. Antiqua in Ægypto consuetudo est, ut dum Nilus crescit, summa lætitia tota Ægyptus afficiatur, & quod maximè naturæ sapientes admirantur, ex terræ Ægyptiæ gle-

bæ

bæ pondere, etiam ubilibet ſumpta fuerit, quam nunquam Nilus madefecerit, annonæ caritatem copiamve prævideant. De qua ſane obſervatione nos aliàs abundè ſcripſimus in primo libro de Medicina Ægyptiorum. Principium iſtiuſce fluminis incrementi ſemper ab antiquitate uſque ad hanc ætatem incipere die XVII. Junii (non obſervata hic anni Gregoriani correctione) conſueviſſe narrant, nunquam ante, & nunquam poſtea à quoquam hoc principium fuiſſe obſervatum. Patrio more, quoad creſcit flumen, aquæ auctionem quotidie dimetiuntur, ad quod munus domus ad ripas Nili fuit conſtructa quam Beit el Chazar nuncupant, quæ à Cairo quingentos paſſus diſtat, quæque tot gradus ex marmore habet, ut Nili fundum ferè tangat, ſuper quos quotidie mane aquæ incrementum transverſo pollice dimetiuntur. Auctione vero cognita varii præcones, civitatem, nobiliumque domos percurrunt, tot digitis Nilum ea die auctum fuiſſe nuntiantes, omnique accuratione quotidie id faciunt, quoad ſexdecim, aut decem & ſeptem cubitis quotidianam aquæ altitudinem ſuperaſſe offendant. Cum vero aquæ altitudo decem & octo cubitos ſuperaverit, Nilum incidunt, illamque diem, in qua inciſio fit, Jacum el Chazar, ideſt inciſionis diem, vocant, qui quidem adeo ab Ægyptiis colitur, adeoque ipſis Auguſtus eſt, ut in eo vel homicidium fiat impune. Fit autem hodie inciſio hæc eo modo quo apud antiquos Ægyptios fieri ſuerat conſuetum. Foderant Ægypti Reges magnum alveum, quo Nili aquam in urbem ducerent. Hic hyeme ſiccatur, & clauditur, clauſumque in hunc uſque inciſionis diem ſervant, quoad inciſionis tempore reſecetur; ex quo Nili inciſio nil aliud quam alvei hujus apertio eſt: quæ triplici de cauſa fit, tum ut Reges oſtendant ſeſe Nili præſtantiſſimi fluminis poteſtatem habere, tum ne quis ante hunc diem Nilo ſuos campos irriget: quod ſi quis facere auſus fuerit, capite punitur: tum poſtremo ut hac aqua adducta totam urbem delectent: ex qua per mediam urbem excurrente magnam voluptatem capiunt Ægyptii, utpote qui aqua cæleſti ut plurimum carent. Ita per urbem magna omnium lætitia Nili aqua primo delabente, incolarum compl res

insignem illam voluptatem intus cohibere nequeuntes, variis ludis oblectantur, unde illorum quosdam videas inibi se lavantes, natantes alios, naviculis quosdam flumen transfretantes, canentes alios, aliosque & viros, & fœminas continuò in aquam vestitos se projicientes, atque alios cujusque generis flores aspergendo, quasi flumen ipsum tanquam numen divinum colere, & adorare videantur. Tota urbs hac die ad alveum istum (quem Chalez vocant) spectandum transfertur; unde domus, quæ prope sunt, citius, cariusque multis locantur. Ad locum vero ubi Nilus inciditur Ægypti Proreges, Ducesque pulcherrima in triremi veniunt, per totam noctem incisioni præcedentem se ipsos variis modis oblectantes, quos alii fere omnes milites cum innumeris fere naviculis magno applausu concomitantur. Dictu fere incredibile videtur, quanta illiusce gentis turba die noctuque Nili fluminis ripas illuc impleat, ibique, & fœminæ multæ cum viris pernoctent, gaudeant, atque ut ludis variis, qui per noctem supra flumen in variis, fereque innumeris cymbis ab Ægyptiis nullam aliam ob causam fiunt, quam ut intuitu aucti fluminis oblectentur. Equestres milites eo se conferunt, & aqua denuo dimetita Deo Optimo Maximo datori primum omnes gratias agunt. Tum Prorex, Bassa vocatus, gladio apprehenso, ut incidant, illis imperat. Mandatumque tam citò peragitur, ut factum dicto præisse putes. Prorex cum suis, & ante, & post incisionem, placentas, pepones, nummos, aliaque similia in aquam projicit, perinde ac flumen quasi adorare videatur. Quæ omnia Arabes innumeri, nautæ, piscatores, ac peritiores in arte natandi, intercipiunt, quorum non parva in Ægypto copia est. Adeoque sunt in hac arte periti, ut vestibus in veru impositis, ipsoque capiti adligato, equorum ephippia deferentes, ac equos secum ducentes, in flumen se conjiciant, ipsumque nullo labore tranent, qua arte sæpius Turcas deceptos, præda pleni, relinquunt, qui cum natare haud sciant, eos insequi minimè audent. Multis ante, & post incisionem diebus, scaphæ, cymbæ, omniumque navicularum genus in flumine visitur, quibus huc illucque discurrentibus ignes arte factos, (in qui-

quibus parandis omnes alias nationes Mauri antecedunt) excitant, componuntque, ut ſpectatores maximè oblectent. Ad inciſionis locum, neque Hebræis, neque Chriſtianis accedere licet, nulli denique admittuntur, qui ipſorum ſectæ minimè addicti, tanquam profani, aquarumque faſcinatores, quorum præſentia minime bonis, felicibusque auſpiciis inciſionem fieri autumant, adeo ut ego, qui inciſioni intereſſe maxime deſiderabam, habitum mutare, ſectamque mentiri adactus fuerim. Longus nimis ſim, ſi quæ hiſce diebus lætitiæ ſigna eduntur enumerare vellem, quibus ſuos unusquisque agros irrigare, feliciſſimumque annum, ut ita dicam, ſibi comparare licet. Atque hæc de iis, quæ & ante, & poſt inciſionem Nili fluminis fiunt, à nobis dicta ſufficiant. Nunc de iſtius fluminis aquæ ſumma præſtantia atque bonitate agamus.

Caput III.

De aquæ Nili fluminis bonitate, atque præſtantia.

Nili aqua merito omnibus aliis præfertur, quod ipſa alvum ſubducat, menſes pellat, ut propterea rarò menſium ſuppreſſio in Ægyptiis mulieribus reperiatur. Potui ſuavis eſt, & dulcis: ſitim promptiſſimè extinguit: frigida tutò bibitur, concoctionem juvat, ac diſtributioni auxilio eſt, minime hypochondriis gravis, corpus firmum, & coloratum reddit. Theophraſtus (ut auctor eſt Athenæus) in libro de Aquis inquit, Nili fœcundiſſimam, & dulciſſimam eſſe aquam, & ventrem ſolvere cum bibitur, ob admixtam quandam vim nitroſam; ob fœcundiſſimam vero utriusque aquæ naturam, & uſum ſalubrem Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem Berenicæ filiæ, Antiocho Syriæ Regi nuptæ, usque in Syriam aquam Nili ut ea ſola ad potum uteretur, miſiſſe. Athenæus idem in 2°. libro Deipnoſophiſtarum tradidit. Nonnulli auctore Avicenna Nili aquam laudarunt, tum ob emanationis longitudinem, tum ob locorum, per quæ fluit, bonitatem: Tertio ob ejus copiam;

atque demum quod flumen à meridie ad ſeptentrionem tendat. Neque ii injuria in haſce cauſas bonitatem aquæ Nili fluminis retulerunt: Namque longiſſimo in eo itinere, quod hoc flumen à meridie incipiens in ſeptentrionem ad mare mediterraneum usque perveniens facit, aqua plurimum extenuatur tenuiorque redditur. A multis aquæ non ſolent commendari bonitate, quæ currunt a meridie in ſeptentrionem. Oribaſius tamen de iis ita habet: „ Quanquam autem aquas, quæ ad meridiem fluunt „ non laudem; Nilum tamen ita commendo, ut aquæ bonitate, „ paucis fluminibus comparari poſſe videatur, & quia ipſius iter „ fit per loca calidiſſima mirum quoque non eſt ſi etiam ab eo „ calore plurimum alteratur, & quaſi ex toto excoquitur." Habet & Nilus (cum & terra ſit rotunda, atque ejus iter ſit ad minus milliarium Italicorum quatuormillium, ſi verum eſt à tropico Capricorni ortum ſuum nanciſci, & ultra alterum tropicum per gradus ſeptem in mare terminari, atque ſic longitudinem illius itineris recta via habere gradus quinquaginta quinque ad minus; ſed iter ejus longius eſt cum non rectam ſemper, at obliquam, tortuoſamque viam habeat) complures ex præruptis locis altiſſimis deſcenſus (cataractas Plinius vocat) in eo longo itinere habet, proximiorque Ægypto cataracta eſt, quæ inter Lybiæ, atque Æthiopiæ montium anguſtias fit. Quare aqua Nili ex iis cauſis mirum non eſt ſi tenuiſſima, & maxime excocta reddatur. Unde medici Ægyptii eam crudam, at diligenter tamen clarefactam, ægrotis exhibent ad potum, atque ex ea etiam diſſolvunt potiones purgatorias, à quibus etiam eam ad libras magna cum utilitate ſuperbibunt. Ex locorum quoque, per quæ defluit, qualitate bonitas deprehenditur, quando fundum Nilus habeat maxime concoctum, & pingue, nihil cruditatis recipiens. Quo etiam cum iſtiuſce terræ ſubſtantiæ pinguiſſimæ particeps ſit; mirum haud eſt ſi Ægyptiis fuerit perſuaſum ipſam aquam corpora nutrire. Quod autem ejus uſu corpora nutriantur, cuique ibi degenti eſt plane notum, corpora ſiquidem macra, extenuata, ejus uſu bonum habitum nanciſcantur; atque multum pinguefiant. Mihi vero, cum Ægyptum attingerem graciliſſimo corpore conſtanti, ex illiuſce largo

largo aquæ potu quem ſemper toto illo tempore quo ibi moram traxi, continuavi, bonum habitum, & pinguem fieri contigit; Quod ſi aliquandiu moram longiorem in ea regione feciſſem, obeſitatem in corpore nactus profecto fuiſſem. Quare ab illius aquæ uſu corpora ali non eſt dubitandum. Unde Ægyptii pro certo habent aquam eam ſanguinem in corporibus gignere, ſimilemque vim gignendi ſanguinem obtinuiſſe poſteaquam miraculo à Moſe, ſanctiſſimo Propheta, olim in ſanguinem fuerunt mutatæ. At corpora præſertim calida, & ſicca ob ejus aquæ uſum bonum habitum nanciſci ſanè poſſe & nos quoque affirmamus, ſed non in eo quod ſanguinem hæc aqua gignere apta nata ſit (tametſi fortaſſe haud omnino negandum eam aquam aliqualis ſubſtantiæ alimentalis eſſe participem) ſed in eo quod hepar ſanguinis officinam maximè contemperat ac proinde in bilioſis corporibus jecoris calore contemperato plus ſanguinis gignatur, ex quo plus nutriuntur, & in carne augentur. Nili itaque aqua in frigiditate eſt temperata, & in humiditate eſſentiæ tenuiſſimæ, haud omnino expers alimentalis ſubſtantiæ, unde ipſa, ut cæteræ aquæ, non inſipida, ſed ſubdulcis guſtui apparet: alvum lubricam ſervat, urinam, atque menſes movet, in quam cauſam medici Ægyptii referunt, quod raræ mulieres in Ægypto ſint, quæ laborent menſium ſuppreſſione. Quam ſuavis, & jucunda ad potum ſit, dici ſatis non poteſt, eoque argumento etiam intelligitur, quod homines, vino quoque aſſueti, ipſum ſpernant, aquamque libentius complectantur. Nec mirum eſt ſi Peſcennius Niger in Ægypto exercitui tumultuariè vinum petenti, dixerit. *Nilum habetis, & vinum quæritis?* Hoc ſcripſit Flavius Vopiscus in ejus vita. Parum quoque nutrit, corporaque ad calidum distemperata contemperat, alimenti diſtributionem optimam facit, atque nutritionem. Renum calorem ita contemperat, ut probè clarefactæ uſus calculorum productionem prohibeat, atque etiam genitos calculos per urinam expellat. Quod nobis calculo renum vexatis contigit, qui ex largo iſtiusce aquæ potu calculum magnum per urinam rejecimus. Addimus, hanc aquam Ptolemæum Philadelphum tanti

feciſſe ad potum, ut Berenicæ, Antiocho nuptæ, ejus filiæ, ex Ægypto perpetuo in Syriam ad ejus uſum miſerit, ſuppeditavetitque aquam Nili fluminis.

Caput IV.

De Inſula Delta, atque de Alexandria.

Producit Nilus flumen inſulas multas, & ſinus efficit, atque, ut omittam, quæ ſupra Cairum cingit, tacendum minime duxi illam nunquam ſatis encomiis concelebratam Inſulam Deltam vocatam, quod ſua forma literam Δ imitetur, quam non longe à Cairo duo rami Nili nunquam verſus mare ſe conjungentes conſtituunt. Alter quidem ramus verſus Peluſium delabens, alter vero Canopum, quæ hodie Ruſſit vocatur. Intra hos duos ramos, atque mare Mediterraneum Delta inſula conſtituta eſt. Quæ inſula eſt adeo fæcunda, ut in ea naturam maxime luxuriaſſe dicas. Hanc Arabes Gizirdaabi, hoc eſt Inſulam auream, appellant. Saccharum in magna copia ſingulis annis producit, eoque ſemper abundat. Orizæ ſumma copia in ejus ſolo, & ſelectiſſimæ quidem gignitur, quam profecto per mare Turcæ Byſantium convehunt, atque ad omnes Turcarum provincias, cum ſit in omnibus iis communis, & gratiſſimus cibus. Hanc Turcarum Imperator Uxori Reginæ dono dat. In ea quoque prope mare ſalis albiſſimi copia foditur, quod præ copia non venditur, ſed unicuique colligere quantum libet fas eſt. Iſtius Inſulæ urbs præcipua eſt Fuè. Quæ usque adeo omnibus ad victum attinentibus perpetuo abundat, ut nulla alia ſit in ea provincia abundantior, omitto panis tritici optimi abundantiam, orizam, legumina, animalia pro carnium uſu cujuscumque generis terreſtrium, & volatilium. Ovis usque adeo abundat gallinaceis, ut pro ſextertio argenteo nummo, ſexaginta, & plura quandoque coëmantur. Piſcibus itidem ſcatet optimis. At quid de fructibus? Muſas optimas copioſè illud ſolum producit, uvas, melones, angurias el Mavi vocatas, cucumeres Cathi dictos, quorum uſus iis populis eſt ſalu-

faluberrimus, nunquam illis noxius, Perſica mala, citria, limonia, aurantia, paliuros, palmas omnium generum, & mala Punica incredibilis magnitudinis, quæ habent acinos ceraſorum communium magnitudine, dulciſſimos, ex quorum ſucco paratur ab Ægyptiis ſyrupus ille ſolutivus de granatis, qui inter leniter ſolventia præſtantiſſimus eſt, guſtuique acceptiſſimus. De aliis vero urbibus quæ in Ægypto ſunt, deque ipſarum vetuſtate, atque antiquorum veſtigiis, quæ in iis ſuperſunt, etſi omnibus nota videantur, pauca tamen perſtringenda duxi, in gratiam præſertim illorum qui hæc non viderunt. Apud Babilonem, Thebasque apparent veſtigia antiquitatis pulcherrima derelicta, coloſſi, obeliſci, qui hucusque tam hic quam alibi reperiuntur, qui à Cambiſæ ruinis fuere ſuperſtites. Extant vetuſta Regum ſepulcra in ſpecubus inſculpta, pulchris inciſionibus exarata. Nec non antiquitatem teſtantur, quæ hucusque in Heracleotica provincia, vel etiamnum ſpectantur, pulcherrimus ſcilicet Labyrinthus, ac domus illa inſignis ad omnes nationes excipiendas ædificata: pulcherrimum quidem eſt viſere domos illius civitatis ex integro lapide contectas. Heliopolis magnæ ſacerdotum domus, ubi Platonem, Eudoxum, eo eruditionis cauſa profectos, quatuordecim annos manſiſſe ferunt. Id confirmat & locus in quo Eudoxus res cæleſtes contemplabatur. Philonis villa, Oſiris Aſylum, ubi multis in locis ſepulcrum eſſe finxerunt, ut Typhoni ipſum quærenti, abſconderetur. Idem oſtendunt Templi Herculis veſtigia, quæ in Heraclea ſunt in campo Serapidis. In Tapoſiri vero Veneris itidem Templi ruinæ: apud Alexandriam Neptuni. Ægyptus rurſus olim maximè celebris reddebatur Muſæo quod Alexandriæ fuit, quodque ſemiſepultum jacet. Tum non minus ibidem monumentum, in quo Alexandri cineres reconditæ fuerunt. Non minoris ornamenti fuit magna illa quondam Bibliotheca quæ Alexandriæ extitit, miris laudibus ab antiquitate concelebrata. Ad hæc Ægyptum illuſtrant veſtigia itidem templi Minervæ, Lucinæ, Apollinisque, & Jovis delubra, Latonæque, quæ Lacopoli extant. At nunc ex illuſtrioribus Ægypti urbibus ad Alexandriam venio, quam Galenus Per-

Pergamenus, medicorum poſt unum Hippocratem omnium facile princeps, Magnam Alexandriam vocare ſolet. Hæc etſi hac ætate majori ex parte ſemidiruta jaceat, atque ferè ſemiſepulta, tamen ruinæ quæ extant, & veſtigia, ipſius amplitudinem, & majeſtatem declarant, ædificiaque potiſſimum, quæ tam ſuperba extructa fuere, ut tam alte defoſſa, quàm ſupra terram ſuperſtent, appareant. Tota Civitas nunc etiam columnis marmoreis ſuſtentatur, altèque defoſſa loca omnia vacua habet aqua Nili fluminis plena, quæ per ramum (Caliz vocatum) ſingulis annis cum flumen in ſuo eſt augmento, in ea loca ſubterranea defluit. Extant in ea Civitate veſtigia, ut putant, palatii Regalis olim Cleopatræ. Nos vidimus juxta ea veſtigia fuiſſe effoſſa duo capita marmorea, nihilo ab antiquitate vitiata, ſed integra, & omnino perfecta, quorum alterum Cleopatræ effigiem affabrè referebat, alterumque Marci Antonii. Extat & columna, quam Pompei vocant, inſignis profecto longitudinis, atque latitudinis; & pulcherrimus obeliscus litteris Ægyptiis inſculptis (Hieroglyphica vocant) exaratus. Ex latere habet lacum Mareotim vocatum, qui ex dulci aqua à Nilo excurrente marinæ permixta efficitur. Etenim ipſe plurimum auctus mari ita miſcetur ut id ipſum mare eſſe videatur. Antiqua civitas aliud ferè quam ruinæ, & veſtigia urbis antiquiſſimæ non eſt, pauciſſimosque habitatores habet. Unde aër longè inſalubrior quam antea redditus eſt, præſertimque menſe Auguſto, cum ob aquam, quæ ſtagnans, atque ſemiputris eſt (propterea quod cœnoſa & putrida ferè omnino propter ipſius paucitatem effecta eſt, neque prava ejus qualitas prius corrigitur, quoad menſe Septembri ex Nilo aucto renovatur, multa quippe aqua optima ex flumine de novo affluente, ſuccedenteque) tum ob ventos ſemiputridos ex lacu Mareoti, itidem tunc & ſtagnante, & ob corruptam aquam ſemiputri, perflantes, in quam cauſam eo tempore febres peſtilentes ferè Epidemicæ in ea civitate graſſantes ab indigenis referuntur. Cœperunt abhinc plures annos multi à civitate fugientes terræ partem mari adiacentem frequentius habitare, propè ſcilicet Arcem Alexandriæ, in qua parte omnes

nes Hæbrei nunc habitant, unde altera civitas, & ab ipſis, & ab aliis nunc ibi quaſi facta eſt. Viridaria hæc civitas pulcherrima habet, & quædam juxta littus maris in ſolo arenoſo extra mænia civitatis, ut mirum ſit quo modo hortenſia olera, atque fructus itidem hortenſes in ſola arena vivant, perfectique reddantur, ut anguriæ, melones, cucumeres, bauſia, melochia, lactuca, ficus, mala perſica, armeniaca, muſæ, & ſimiles alii: Terra capparibus ſponte naſcentibus non ſpinoſis ita abundat, ut magna ipſorum copia ſale conditorum in varias regiones, & provincias quotannis mittatur. Sylvæ dactilorum ſunt, Caſſiæ catharticæ complures, ſycomori, paliuri Habac ab Ægyptiis vocati, cujus poma jucundiſſimi guſtus ſunt, magnitudine, & figura plane ſimilia fructibus mespili Aroniæ, at non ſunt ita adſtringentes. Uvæ creſcunt ibi copioſius, pulcherrimæ, atque optimæ, quæ ad cibum in uſu ſunt, non tamen ad vinum, cum neque Alexandrini eas ita copioſas habeant, ut & ad cibum, & ad vinum ſat ſint. Hæ menſe Majo maturæ fiunt: nos enim die decima quarta Maji in quodam horto ibi, & albas, & nigras uvas probè maturas vidiſſe meminimus. Hæc pauca obiter de Alexandria dicta ſint, quando longè plura ab aliis ſcriptoribus fuiſſe poſteritati tradita, nos non lateat.

Caput V.

De magna Cairi civitate, deque rariori-bus in ea obſervatis.

An Cairum (quam urbem Ægyptii Masvè vocant) ſit illa celeberrima totius Ægypti civitas, quam Memphin à veteribus nominatam olim fuiſſe conſtat, à nonnullis dubitatum eſt, & uno præſertim argumento, quòd Ptolemæus Memphim meridionaliorem quam ſit nunc Masvè, vel Cairum, quod gradibus XXVIII. ab æquatore diſtat, & Memphim habuiſſe altitudinis ab æquatore gradus ferè triginta conſtat. Verum neque Babilonem antiquam civitatem eſſe, quam Ægyptii nunc

Masvè aſtie, ideſt Cairum antiquum, Babilon dictum, nominant, dubitatur, cum & illa antiqua Babilon diſtaret, Ptolemæo auctore, ab æquatore, gradibus itidem XXX. Utcumque res ſe habeat, plerique Ægyptiorum non dubitant affirmare Cairum eſſe antiquam Memphim. De qua civitate illud nunc erit animadvertendum, quippè olim Ægyptios aliam partem ſoli Ægyptiaci habitaſſe, ſcilicet verſus Topanà, in pulcherrima planitie, quæ in proſpectu erat eam ad montis apertionem, latitudinis fere XXV. Italicorum miliariorum, qua via eſt ad Sues, & ad montem Sinai, atque ad Mare Rubrum. Ibi enim maximæ civitatis veſtigia, atque ruinæ conſpiciuntur. Situs enim hic longè amæniorem, ſereniorem, & liberiorem aërem habebat. Nunc vero ſub monte omnes habitant, qui eſt terminus Arabiæ Petreæ ad Nilum flumen tendentes. Civitas hæc excurrit per longum ab Oriente in Occidentem, à Nilo flumine incipiens uſque ad montem terminata. Nunc duplex cernitur, antiqua mæniis, tamen non ex toto cincta, quæ incipit à porta Babzuele vocata, quæ ad alteram Portam Babnaſcir nuncupatam (ideſt portam fortunatam, nimirum ita vocatam, quia Selim Turca per eam portam ad Cairi civitatem primum fuit ingreſſus) recta via terminatur. Iſtius civitatis mænibus cinctæ magnitudo non minor eſt quam Patavium eſſe videatur. Altera vero extra mænia antiquæ urbis cernitur longè amplior, mihique viſa eſt veluti complurium ſuburbium, villarumque, ſeu pagorum magna congeries. Hæc per montis radices, procedit ad Nilum flumen fere deſinens, mediaque ipſius via latiſſima, longiſſimaque longe procedit, cujus longitudo ſex milliarium eſſe creditur, in qua & altera Civitate, ſeu Civitatis parte, innumeræ plateæ, in quibus à Cadis vocatis cauſæ litigantium audiuntur, atque merces omnis generis venales habentur, quæ plateæ non nominibus, ſed numeris vocantur. Creditum eſt numero fere ducentas. In hac civitate eſt arx pulcherrima, & ampla ſupra montem lapideum poſita, in qua olim Reges Ægyptii habitare conſueverunt, nunc Prorex, ſive Ægypti Præfectus quem Baſſa vocant à Turcarum Imperatore pro tempore miſ-

ſus,

ſus, ipſam itidem inhabitat. Hæc vero in tres partes diviſa eſt, in quarum prima, ut dictum eſt, Baſſa Domicilium habet, aulamque auditoriam inſigni latitudine, ea autem longitudine, ut à principio ad finem uſque hominem cognoſcere vix facile poſſis. In hac totius Ægypti Prorex audit litigantes, controverſiasque judicat, atque de rebus ſecretis pertinentibus ad iſtius Regni gubernationem cum Turcis proceribus agit; quippe cum Cadi Laſcher, & aliis Cadis, Teſterdaris, Sangiachis, Beïs, & Chiaus itidem multis, qui omnes ibi bis in ſeptimana ea de cauſa conveniunt. Altera pars arcis undique clauſa muris eſt, unamque ſolummodo portam qua ingreſſus patet, habet. In ipſa olim Regum mulieres cum mancipiis, quæ ferè numero quadrigentæ fuerunt, commorabantur. Nunc Prorex ea ad eumdem uſum utitur. Ultima pars militum eſt, quæ adeo eſt magna, ut parva civitas videatur, duas vero portas ferreas habet, eſtque ad iſtius radices viridarium pulcherrimum in quo variæ arbores aluntur, ſcilicet mala citria, aurantia, limonia, poma Adami vocata, mala Armeniaca, perſica, paliurus, muſa, & ſimiles aliæ arbores, aſpectu ſemper virentes. Adſunt & fontes ex aqua limpidiſſima ex marmoreo lapide confecti, quorum aliqui veluti è ſpecu deſcendunt, alii in altum aquam emittunt. Adeſt ibi & pulchra quoque Domus oſtiis eburneis, feneſtrisque permaximis ferro intercluſis. Ad viridarium eſt & ſtadium maximum muris cinctum. Stadium autem Midam Ægyptii vocant, atque ad ipſum adeſt & permaxima platea, quam Romele nuncupant, in qua quotidie plurima animalia venduntur; & quamvis arx altiſſima ſit, aſcenſumque habeat difficilem, tamen aqua ex Nilo flumine ſpacio quinque milliarum quibusdam artificiis per murum copioſius deducitur. Mirumque maximè videtur quo pacto poſſit aqua ex imo Nili alveo ita eo rotarum artificio in altum extolli, ut arcis altitudinem ſuperare queat. Hoc illius arcis fortitudini plurimum eſt detrimento, etenim belli occaſione, facilè poteſt, & rupto artificio quo in altum elevatur, & disrupto itidem muro per quem in arcem defluit, aquâ arx ipſa deſtitui. In medio quoque Arcis in loco eminenti extat

prope magnam plateam magnus porticus, ſive deambulatorium quadratum, mira altitudine extructum, cujus tectum columnis marmoreis ſuſtentabatur, ſingulis ſimul quaternis poſitis, quæ numero bis ſexdecim exiſtunt, quarum quatuor ſimul junctæ angulum tecti ſuſtentant, & aliæ quatuor alium angulum, & ſic de aliis duobus angulis. Aliæ verò medium porticum eodem ordine quaternæ ſimul ſuſtinent. Templa complura Cairum ornant, quorum illud maximum eſt, in urbis medio poſitum, quod Giemalazar appellant, in quo tota civitas convenit, & quotidie Mahometana lex legitur, atque interpretatur, maximeque in die Veneris, in qua die multi illorum ab omni opere ceſſant. Ibi etiam libri complures cujusque materiæ venduntur. Hic quotidie prædicatur itidem lex ipſorum, & conveniunt legis periti, quos Talismam nuncupant, atque iſti legem ſcriptam ſemper in manibus geſtant. Hocque templum eſt ubi mortuis juſta perſolvuntur, maxime autem procerum, conſuetudo enim eſt apud Ægyptios, ut cadavera antiquorum more extra urbem ſepeliant: quod antequam faciant, ea ad fani portas ferunt, ibique exequias concelebrant, dein ipſa ad ſepulchra efferunt, quæ præcedunt canendo magnis vocibus dicentes Deum magnum eſſe unum, ejusque Prophetam eſſe Mahametem, ſed ut in antiquo more etiam fuit, parentes mortuorum conducunt mercede Arabas mulieres, quæ & domi mortuos deplorent, & ipſos ad ſepulchra flebilibus clamoribus concomitentur. Proceres mortuos ad ſepulchra deducunt equites, ducesque equitantes. In hoc etiam templo eſt diſciplinarum omnium Gymnaſium celebre in quod ſingulis annis tercentum millia aureorum impendi fama eſt, victusque & veſtitus omnibus Doctoribus in Gymnaſio diſciplinas profitentibus, tum juvenibus ibi ſtudentibus publico ære ſuppeditatur. Eſt & alterum longè majus templum, Arzuele vocatum, juxta arcis radicem orientem verſus poſitum. Circuitus eſt ferè miliaris, cujus muri usque adeo ſublimes, ut vix quæ in faſtigio ſunt, oculis comprehendi queant: cui marmoreæ cornices circumſtant mirandæ magnitudinis, habentque ſummitatem nullo tegumento munitam, adeo ut medium templi ſub dio jaceat; quod

quod ceteris aliis omnibus templis eſt commune. Hujus pavimentum miro artificio ex lapillis marmoreis variorum colorum confectum viſitur. Ab hoc templo paululum verſus occidentem adſunt ædium quarundam regiarum veſtigia, quas plures exiſtimant fuiſſe domicilium Joſephi quondam totius Ægypti præfecti. Maximum apparet Palatium circuitus fere milliaris Italici, muris ex lapidibus magna ex parte marmoreis atque lateritiis ex calce confectis, ita prælatis, ut vix acies oculorum ad faſtigia attingat, ſuperſtant circum faſtigia marmoreæ cornices altitudine quatuor fere cubitorum, nudo perpolitoque lapide. Intra muros vero externos omnia ruinis plena ſunt. Haud procul hinc cernitur Ægypti Horreum Sonè ab iis nuncupatum. Planities eſt muris prælatiſſimis cincta, duorum ferè milliarium circuitu. ſub dio poſita, nullo ſcilicet tegumento cooperta, aërique idcirco tota expoſita. Quem locum ſingulo ſeptennio tritico replent, ex eoque intra eos muros acervi montium inſtar tritici fiunt; qui eminus ſupra muros conſpiciuntur: paucos poſt dies quam ibi triticum fuerit repoſitum, eoque totus ille locus fuerit repletus, tritici ex rore copioſo cælo noctu cadente ſuperficies corrupta, atque à nimio ſolis calore plurimum ſiccata, & indurata, cruſtas duriſſimas contrahit palmi ferè craſſitie, intra quam triticum (quod ad aëre nihilo tangatur, altereturque) ſeptennio incorruptum conſervatur, quo tempore finito Proregis mandato continuo depromitur, populoque diſpenſatur, ac denuo ex recenti locus impletur. Ægyptiorum non paucis perſuaſum eſt, hujusmodi Horreum fuiſſe olim à Joſepho totius Ægypti præfecto ad evitandam annonæ caritatem exædificatum. Mirum profecto non eſt, ſi tantæ frumenti quantitatis in magna Cairi civitate fiat proviſio, ne ſi forte aliquando ex Nili fluminis aquæ nimis pauco, aut immoderato incremento, annonæ caritas ſuccedat, ut iis omnibus ea proviſione proſpiciatur. Etenim in hac civitate hominum vivere ad minus bisdecem centena millia & plures etiam eo argumento, ſive conjectura aſſecuti ſumus, quod anno 1580. peſte Cairi interiiſſe deprehenſum fuerit quingenta millia hominum, qua ſublata continuo cum hanc urbem ſeptimo ſcilicet men-

ſis Julii ingrederemur, vix paucis hominibus civitatem defeciſſe nobis viſum fuerit, ita illam gentibus innumeris repletam vidimus, ut propter hominum multitudinem non abſque magna difficultate per vias regias ire hominibus concederetur. Accedit etiam, Turcas è peſte interemptis in libro mortuorum neque pueros, neque mulieres, neque mancipia adnotare: unde eo anno ex peſte, quæ quinque menſibus urbem fuit depopulata, forte interiiſſe ad minimum decies centena millia hominum, facile conjici queat. Sunt in hac urbe ædes complures magnificentiſſimæ, atque auguſtiſſimæ, quarum pulchritudo, & magnificentia minime foris conſpicua apparet, namque muri ſolummodo quibus ædium loca cinguntur, foris ſpectantur, intus vero præclara illarum & pulchritudo, & præſtantia conſpicua fit. Palatia hæc profecto ſunt auguſtiſſima, in quibus pro mulieribus ſunt ædes ſeparatæ, quarum pavimenta ex ſelectiſſimis lapillis porphyriticis variorum colorum undique ſplendentibus miro artificio extructa ſunt, tecta ædium omnium aurata mirificè ſplendent. Habent Balnea ibidem pulcherrima quibus mulieres, & ad valetudinem conſervandam, & ad ornatum corporis, frequentius utuntur. Habent & fontes marmoreos continue frigidam aquam fiſtulis plumbeis in aërem die noctuque ejaculantes, circum quos æſtate prope dormiunt. Habent & viridaria ſeparata ab iis, quæ in virorum ædibus ſunt, amæniſſima, & lacus magnos, in quibus omnis generis volatilia, aquatilia, atque piſces nutriuntur; unde illis non deſunt piſcationes, & in viridariis aucupia. Ædes vero pro viris pulchritudine, atque magnificentia illis mulierum minime cedunt, in quibus loca etiam habent pro viris mancipiis, & ſtabula equorum, mulorum, & aſinorum, pulchritudine, & munditia nullis aliarum nationum poſtponenda, uſque adeo ea elegantia, & munda ſunt, ut cameris hominum elegantibus comparare queas. Unum addo: quamlibet domum circa medium ipſius habere latiſſimam fiſtulam ligneam, aut ex alia materia confectam, ex toto cavam, & perviam, quæ fere ab imo ædium pavimento incipiens ad ſummum faſtigium, inſtar campanæ latiſſimi oris expanditur; cujus pars ſuprema verſus ſeptentri-

trionem eſt aperta, perque eam apertionem ventus ſeptentrionalis frigidus exinde reſpirans excipitur, atque deorſum fertur, ad univerſam domum refrigerandam. Quemadmodum in frigidis regionibus propter inſignem aëris frigiditatem, ut homines à frigore ſe tueantur calida hypocaſta in uſum veniunt, ita in locis magno calore æſtuantibus * hujusmodi fiſtulæ ad defenſionem a calore uſum ibidem habent.

Itaque ex prædictis domibus magnifice conſtructis Cairi complures cernuntur, quas ſolummodo Turcæ primates, atque Ægyptii habitant, ſcilicet Sangiachi, Beï, Cadi, Teſterdari, Chiauſi, atque Chielebi, ideſt nobiles Ægyptii. At de ædibus nobilium in hac civitate ita obſervatis, mirum non eſt ſi eas laudes dixerimus: ſed quid de plebeorum domibus? Tanta eſt in ea urbe habitantium ſuperbia, ut nullus non ſit vel etiam artifex, qui ædem non habitet magnificè extructam, quæ aulam præſertim non habeat amplam, cujus tectum ſit undique auro cælatum, atque pavimentum ex lapillis marmoreis ſelectiſſimis variorum colorum ſplendentibus miro artificio confectum, cum fonte marmoreo frigidam aquam plumbeis fiſtulis continuo ejaculante. Balnea in hac civitate multa, magnificentiſſimè extructa viſuntur, miræ pulchritudinis, atque amplitudinis, quæ innumeras ferè cameras habent, in quibus homines lavantur, ſudant, refrigerantur, fricantur, atque ea faciunt, quæ ad conſervandam ſanitatem Ægyptii facere ſolent, atque ad corporis ornatum. Singula habent pavimenta marmorea ex lapillis parvis variorum colorum artificioſe ſtrata, & tecta omnia vitreata ipſis incumbunt. Innumera in hac civitate Balnea publica extant, ad quæ conveniunt, & viri, & mulieres. Ex mulieribus vero hæc balnea frequentant plebeæ & pauperculæ, quæ quid in ipſis agant nos in libris de Medicina Ægyptiorum tradidimus. Nobilibus vero mulieribus, & Turcarum, & Ægyptiorum, & Arabum, non licet ea ingredi, cum domi habeant quibus uti ſolent pulcherrima. At quandoque ad ea & nobiles voluptatis gratia venire ſolent, cum ſuis mancipiis eunuchis cuſtoditæ. Hæc civitas habet innume-

* Vid. Tab. I. Num. 1.

meras vias, quæ noctu magnis portis ligneis clauduntur ad habitantium ſecuritatem. Unde ipſis tota civitas in tuto redditur. Quo obſtaculo ferunt Selimum, Turcarum Regem, quo tempore Ægypto bello potitus eſt, per tres continuos dies coactum fuiſſe pugnare antequam ipſam civitatem ſubigere potuerit. Extra hanc urbem occidentem verſus extat adhuc in loco quem Matarea vocant, domuncula, ſive Camera quadrata parva, & juxta ipſam fons aquæ dulcis ex quo perpetuo copioſa aqua naſcitur, ſcaturitque, qua proxima viridaria irrigantur, præſertimque ea quæ Balſami plantas alere ſolent, de quibus nos ſatis ſuperque ſcripſimus in dialogo de Balſami planta, & in libro de plantis Ægypti. In hac cella iſtius domunculæ Beatiſſimam Virginem Mariam cum Chriſto Domino noſtro infantulo ſeptem annos habitaſſe conſtat, quippe, quo tempore Herodis iram fugiens in Ægyptun ſe receperat. Pro certo habent omnes Ægyptii hic occulte ſeptennio permanſiſſe. Quo tempore illa aqua fontis, & ad victum, & ad pannos eluendos ipſa uſa eſt. Eſt intra eam cellam in muro ex calce, & lapidibus lateritiis cavitas cubito longior, & ſemicubito lata, in porphyrite lapide excavata, in qua primum Virginem Beatiſſimam Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum infantulum occultaſſe ferunt. Ex hoc ſpecu reſpirat odor perquam ſuavis haud notæ qualitatis, & nos teſtamur, non ſemel, ſed pluries hujusmodi qualitatem odoris ibi olfeciſſe, atque cum multis una obſervaſſe. Quod miraculum (cum nullo artificio ibi eſſe queat) cum Chriſtiani omnes, tum Mahometani, pro certo eſſe prædicant. Hic locus non minus a Turcis, Mauris, Ægyptiis Mahemetes aſſeclis, quam a Chriſtianis, in magna eſt veneratione habitus; quod omnes Mahometani omnia de Virgine ſanctiſſima, quæ Chriſtiani credant. Meiſir Baſſa, Prorex Ægypti, Turca honeſtiſſimis moribus præditus, ita eum locum eſt veneratus toto illo tempore quo Ægypto præfuit, ut bis in hebdomada ad eum locum ſemper oratum iverit, nullaque alia aqua ad potum toto eo tempore, quam illa quæ ex eo fonte (quod ea Virgo Maria ſuo tempore uſa) ſcaturiebat, uti voluit. In tanta ſane veneratione, & honore maximo eam cellam a

Bea-

Beatiſſima Virgine olim habitatam, ſemper habuit. Quid: annon innumeri ſunt etiam ex Mauris Mahometanis, qui ex longinquis Provinciis, itinere multorum dierum illum locum adoraturi veniunt, quem reverenter colunt, & venerantur, & de aqua illiuſce fontis quantum poſſunt ſecum deferunt, quod apud multas Nationes, & Gentes ad morbos perſanandos maximis laudibus concelebretur, devotèque ad memoriam Virginis ſanctiſſimæ ab iis Gentibus colatur. Eſt inſuper verſus Auſtrum Campus duorum milliarium longitudine, & unius latitudine, figuræ rotundæ ovalis, quem locum olim Theatrum fuiſſe dicunt à Sbech Rege Ægypti factum, unde & vel etiam ad hanc uſque diem Sbechie vocatus eſt. Olim in Nili auctione totus ille locus aqua replebatur, obruebaturque, ſupraque ipſam aquam varia & cimbis, & naviculis & aliis modis ludorum genera Rege, atque Principibus Ægypti præſentibus, ac omni turba Cairi urbis, exercebantur. Hoc tempore terra exinde plurimum aucta campus amænus redditus eſt, qui nunc aqua in Nili augmento haud multum inundatur, quaque abſorpta menſe quippe Octobri, in eo ſeritur triticum, linum, trifolium, leguminaque, quæ planicies Decembri menſe tota vireſcit, variisque floribus amæniſſima redditur. Iſtic poſt Nili inundationem in ea terra pinguiſſimo limo à flumine relicto obruta, Cichoreum ita vegetum luxuriare vidimus, ut foliorum amplitudine majori lappæ ſimilis cerneretur, & ipſius radices magnitudine magnum napum æmularentur, quas Turcæ ſaccharo ad uſum ægrotantium condiunt. Eſt etiam locus non tacendus extra Cairi Civitatem ad Orientem in ſolo arenoſo aliquantulum eminente, ubi planities eſt, ut diximus, arenoſa, omnino ſterilis, & nuda, in qua neque ſtirps aliqua, neque domus, vel alicujus habitationis veſtigium uspiam apparet, neque domus aliqua per milliaria viſitur. Hac via eſt & ad Pyramides, & ad Mumias: de quibus ſequenti capite hiſtoriam texemus. In hac planicie arenoſa, ſterili, & omnino nuda, quadam die conſtituta, ſcilicet à meridie diei Jovis ſeptimanæ ſanctæ ad meridiem uſque Veneris ſanctæ qui iſtuc iverunt, & per totam hanc diem, quip-

pe à meridie diei Jovis ſeptimanæ ſanctæ usque ad Veneris ſanctæ meridiem pernoctarunt, referunt vidiſſe, modo in hac parte illius planiciei repente caput inhumati Cadaveris ſiccati, aut brachium, aut femur, aut totum Cadaver ſupra terram efferri, & poſtea etiam in alio ejusdem planitiei in qua antea nihil viderunt quippiam ſupra terram miraculoſe exiviſſe. Johannes Emus, Patricius Venetus, qui Cairi mercaturæ cauſa tunc agebat, ea communi curioſitate, quæ apud omnes eſt, ſuaſus, illuc, ea die cum aliis profectus eſt, ut hoc miraculum obſervaret, qui cum nihil ſupra eam planiciem antea offendiſſet, paulo poſt repente ſupra terram Caput mulieris ſiccatum capillis vel etiam longis, & multis, non deſtitutum, emicuiſſe vidit, quod caput domum tulit, mihique dono dedit, & non pauci etiam illorum qui una fuerunt, viderunt & ipſi quasdam alias corporis partes ſupra terram elatas. Cophti Chriſtiani inibi viventes hoc miraculum eſſe prædicant, hocque ſingulis annis ea die à multis verè obſervari. Dicunt etiam inibi corpora multa ſanctorum, qui pro Chriſti Fide vitam martyrio finierunt, fuiſſe ſepulta; in ipſorumque ſanctitatem hoc miraculum referunt. Anno MDLXXXIV. Hebraimus Baſſa, Prorex Ægypti, iſtius admirandæ apparitionis fama & ipſe perſuaſus, cum multis aliis Turcis, ut hæc videret, noctem Veneris ſanctæ in ea planicie pernoctavit, qui an ipſe vel alii quidquam viderint certo ſcire tunc haud potui. Cairi innumera viridaria ampliſſima, atque amæniſſima extant, quorum terram aqua irrigant quodam Rotarum artificio, ut etiam alias dictum eſt, quod ſeſchiè appellant, è ciſterna educta. In his hortis ex arboribus vireſcunt mala citria, aurantia, limonia ſylveſtria, & domeſtica, poma Adami vocata, muſa itidem quæ foliorum viriditate amæniſſima jucundiſſimum aſpectum oculis objectant. Hanc arborem in libro de plantis Ægypti accuratè deſcripſimus, deque ipſis poſterius etiam quædam dicemus: Eſt & Tamariscus domeſticus, paliurus Athenei (napea vocant) vitis, malum Perſicum, Armeniacum, ficus, ſycomorus, Caſſia Cathartica, Liguſtrum Ægyptium, prunus Sebeſtena, palma, acacia, & ex aliis ſtirpibus eſt faba Ægyptia, culcas appellata,

lata, Cucumeres Cathè dicti, melones abdellavi, anguriæ elmaoui vocatæ, faba Ægyptia leguminosa: Ocymus arborescens cariophyllatus, piper longum, juncus, gelsiminus Arabicus, rosa cujuscumque generis, soffera, sabdariffa, lablab, phasiolus arboreus niger, rubeus, perennis, bis in anno flores atque siliquas ferens. Hæc magna Cairi urbs & tempore, quo in ipsa Medicinæ causa moram traxi, erat totius ferè Orientis locorum Emporium celeberrimum, ad quod trium dierum spatio ex Sues, & Tor aromata, aliæque magni pretii merces ex India per mare rubrum Navibus allatæ Camelis convehebantur; quæ per Nilum flumen Alexandriam, parvis naviculis itidem conducebantur, quæ & ipsa magnum etiam Mundi Emporium fuit vocata, quo Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania, & cæteræ aliæ Provinciæ Europæ gemmas, nec non eorum, quæ ad rem medicam faciunt, magnam partem accipiunt. At ad Cairum redeo, ad quam urbem omnium aromatum genera ex India, Arabia, & Æthiopia convehuntur. Ex Æthiopia ferunt arenam auream purissimam quam mercatores commutant in coralia, succina, vitra, hydrargyrum, atque in pannos lineos. Ex Italia vero, Gallia, Anglia panni lanei, sericei, stamnum, hydrargyrum, succina, coralia, atque arsenicum, quod Ægyptii una cum tritico serunt, ne à muribus, quibus omnes agri Ægyptii abundant, triticum absumatur. Abundat quoque hæc Civitas omnibus ad victum attinentibus, carnibus omnium animalium, & sylvestrium, & domesticorum: ex quadrupedibus habent bufalos, boves, capras, hædos, agnos, verveces, quorum caro ibi majori in pretio est quam sit vitulina, hædinaque, neque id injuria, cum ipsa sit odoratior cæteris, atque suavior, unde medici libentius quam cæteræ alius carnis vervecinæ esum ægrotis concedere solent. Habent ex volatilibus columbas, gallinasque variorum generum communes nostratibus, proprias quasdam magnitudine anserum, quas Maliffas appellant, quasdam peregrinas ex Abissia convectas (vulgus Gallinas Pharaonis appellat) quæ carnem habent suavissimam, & optimam; videntur Gallinæ Numidicæ, cognitæ Martiali: ex volatilibus sylvestribus illis

non deeſt copia ingens turturum, paſſerum, coturnicum, palumbarum, perdicum, & aliarum avium: Ex aquatilibus ſylveſtribus, dici ſatis non poteſt, cujusque generis quanta copia flumina, & lacus abundent, ut ideò viliſſimo pretio multa ibi ex iis habeantur.

Caput VI.

De Pyramidibus, atque de magno Coloſſo Sphinge vocato.

De Pyramidibus etſi à veteribus multis, & à recentioribus ſufficienter ſcriptum fuerit, tamen & nos quoque quæ de ipſis vidimus, atque obſervavimus paucis hic reſtringenda duximus. Extra Civitatem Cairi quinque milliaribus Italicis ad orientem extant fomoſiſſimæ Pyramides, tantopere à veteribus inter res maximè admirandas concelebratæ, præſertimque tres, duæ majores fundo lapideo in ſolo arenoſo ſuperſtant, atque altera minor ab ipſis fere milliare diſtat. Ex iis altera quæ grandior eſt primum in itinere offenditur, magnis quidem ex marmorei lapidis glebis quadratis confecta, cujus profecto tanta ſpectantibus moles objicitur, ut ad eam comparandam lapides montium totius ferè Europæ vix ſufficere potuiſſe non pauci exiſtimarunt: unde meritò inter rerum admirandarum maxime admiranda ea à multis comprehenſa eſt, maximum nimirum Ægypti Regum ſuperbiæ, clariſſimumque argumentum, qui haſce ingentes moles pro ſepulchris ſibi ipſis condiderint. Hæc inquam Pyramis mole ampliori, habet altitudinem, ut nos diligenter ſimul cum aliis multis dimenſi ſumus, centum viginti quinque paſſuum, in cujus faſtigio terminat ipſam lapis quadratus latitudinis decem paſſuum, ad quem cum nos per gradus Pyramidis exterius poſitos aſcendendo perveniſſemus, animadvertimus complurium hominum qui quodam tempore illuc venerant nomina ad ipſorum perennem memoriam inſculpta, inter quæ legimus nomen Melchioris Guilandini tempore quo ad eam

eam Pyramidem viſendam venerat, ſculptura rudi notatum. Totius verò Pyramidis quadraturæ baſis circuitum extitiſſe quingentorum paſſuum deprehendimus, etenim unumquodque latus longitudine erat centum, & quinquaginta paſſuum. Ab ima baſe ad ſummum faſtigium aſcenditur per gradus ex quibus univerſa eſt compoſita: primum gradum unius paſſus altitudinis, & latitudinis animadvertimus, & ita reliquorum graduum magnitudo reſpondet, ſed quo altius itur, eo aliquantiſper gradus altitudine, & latitudine diminui videntur. At in tam longo ſæculorum tractu in quibusdam Pyramidis partibus, gradus, & ſuperficies quoquo pacto vitium contraxerunt, maximeque in parte ad Auſtrum poſita. Namque in Ægypto muri ædium ab auſtro ita patiuntur, & vitiantur, ut in Italia à ſeptentrione; quod nos non tantùm in Pyramidibus verum eſſe animadvertimus, ſed in univerſa hac Civitate; quæ Bellonius, contrarium ſcribens (quippe Pyramidas in parte ſeptentrioni expoſita aliquid paſſas fuiſſe) conſtruendo illis ex cœlo ſitum fortaſſe deceptus eſt. Sed jam ea quæ intro hanc Pyramidem vidimus, dicamus. Namque nulli viſi fuerunt probè deſcripſiſſe ea, quæ intus ſunt. Unum ſolummodo oſtium hæc per quod pateret ingreſſus ad annum uſque MDLXXXIV. habuit. Quo vero anno Hebraimi Baſſæ, Proregis Ægypti, quadam curioſitate perſuaſi, aut potius à quodam viro Afro pſychomante, nimirum quod intra hanc Pyramidem ditiſſimus Theſaurus contineretur, mandato oſtium ipſius Pyramidis, quod fuerat anguſtiſſimum, & ingreſſum reddebat difficillimum, uſque adeo Pyramidem lacerando, & frangendo ampliatum fuit, ut nunc homo rectus incedens commodè ingredi queat. Decreverat etiam ante, quodam puteo intra Pyramidem poſito, pulvere ignifero oppleto, eam ex toto Pyramidem delere. Sed ille à Georgio Emo, hoc tempore pro Sereniſſimo Dominio Veneto Conſule Illuſtriſſimo, diſſuaſus (quod inquam ſi id feciſſet tota Civitas maximo periculo exponeretur) ſententiam mutavit. At de Pyramidis iſtius ingreſſu jam jam ſermonem inſtituo. Dixi unum quidem ſolummodo Pyramidem juxta baſim in medio lateris oſtium pro ingreſſu habuiſſe, per quod cuique ingreſſus

pateret. Itaque in muro Pyramidis lapideo ad imam baſim penes lateris medium foramen extitit quinque fere paſſibus longum trumbæ quadrilateræ ſimile, foris ore ampliori, latiorivè, & intus anguſtiori rotundo. Ex latitudine ampla ſenſim, ac ſenſim ita in magnam & declivem anguſtiam hoc oſtium deſinebat, atque ita os internum iſtiusce foramins parvum, anguſtumque reddebatur, per quod homo humi in ventrem procumbens ſerpentis modo perreptando vix ingredi poterat, ingreſſusque intus, quendam locum ſpacioſum offendit, in quo ad dextram puteus eſt ſatis anguſtus ferè ſemper arena, lapidibusque obturatus, cujus profecto putei ex veteribus vel etiam Plinius meminit; At poſtquam in hunc locum venimus, paulum ſupra aſcendimus, veluti in quendam alium planum locum; à quo incipit ſcala lata ex lapidibus maxime perpolitis, ſplendentibusque, tecto alto rotundo ex iisdem lapidibus itidem ſplendentibus magno artificio elaborato, atque ita, ut lapidum commiſſuræ vix appareant: pavimentum quoque lapideum perpolitum apparet absque gradibus, unde aſcendendo coacti fuimus ad quædam podia inſtar cornicum parvarum lapidearum utrinque poſita ex intervallis quosdam meatus habentia manu eos meatus apprehendo altius aſcendere. Hæc ſcala rectiſſimè aſcendit, longiorque erat quam quæ in Venetis Palatiis obſervantur. Quem aſcenſum poſtquam abſolvimus, viam quadratam marmoream humilem longiſſimamque, ſcilicet quindecim, aut viginti paſſibus per quam curvato corpore ire cogebamur, qua finita, alteram ſcalam priori omnino ſimilem aſcendere fuit opus, & poſt ipſam, alia via quadrata priori omnino ſimili, tranſivimus, & in quandam cellulam quadratam oſtium apertum habentem pervenimus, cujus tectum ex quinque integris lapidibus conſtabat, ſupradicto modo, & perpolitis, & mira arte conjunctis, in ea cubiculi, ſeu cameræ parte illius quæ juxta parietem erat qui nobis oſtium ingredientibus objiciebatur, extabat veluti arca longa ex marmore ophyti nigreſcente confecta, ſine operculo longitudine pedum XII., & altitudine, & latitudine itidem pedum V. Parietes iſtius Arcæ marmoreæ erant uſque adeo tenues ſive ſubtiles, ut exinde aliqui

ex

ex noſtris dubitaverint an eſſent marmorei, vel potius illud ſepulchrum fuerit non ex lapide, at potius ex quadam maſſa, ſeu materia qua marmorei lapides nobiliſſimi adulterari ſolent. A noſtris ea percuſſa, ſonum inſtar Campanæ edidit. Addo ad hoc cubiculum luminis quoddam ſpiraculum pervenire. Nos vero omnes illas partes internas Pyramidis accenſis luminibus perluſtravimus. Contigit tamen quendam juvenem Gallum, qui una nobiſcum ad viſendam Pyramidem venerat, cum ultimam ſcalam deſcendendo, & manus podiorum ad meatum quendam adhibendo ſerpentem offendiſſet, ejus timore cum podium relinqueret, per pavimentum ex tota ſcala decidiſſe, non absque multo timore, & ſui corporis damno. Hæcque fuerunt intus hanc majorem Pyramidem à nobis obſervata. At unum ad majorem quoque iſtiusce Pyramidis præſtantiam, atque admirationem habendam haud tacendum duximus, ſcilicet de Puteo, quem ſtatim Pyramidem ingreſſi offendimus, quem paſſus LXX. deſcendere certo deprehendimus, quemque nihil aquæ habere itidem comperimus; dicamque quomodo illud cognoviſſe nobis contigerit. Venerat tum temporis in Ægyptum ex monte Libano vocato Reverendus frater Ordinis Prædicatorum Paulus Bigi (ut audio Janenſis) vir ſane in omni diſciplinarum genere eruditiſſimus, præſertimque in Mathematicis, & in rebus Mechanicis: ex horologiis æneis ſpheram ipſe confecerat, in qua omnes cæli ſpherarum omnium motus, præſertimque errantium ſyderum rectiſſimè obſervabantur. Quo etiam artificio Cairi ad Aſſan Ægypti Proregem naviculam parvam auream fecerat, quæ horologiorum, ut dixi, opera, omnes motus cujuslibet navis ſpontè obibat, nobisque primum, cum fuiſſet abſoluta, eam oſtendit, ipſa enim ſpontè ante, retroque, & in girum movebatur, in ipſa vela expandebantur, atque claudebantur, anchoræ extrahebantur, ænea tormenta ſpontè explodebantur, tubicinarum ſoni audiebantur, & reliqua ſingula faciebat, quæ in navibus fieri ſolent. Erat itaque hic vir eo ingenio præditus, ut omnia diligentius cæteris rimaretur, qui cum forte nobiscum unâ ad Pyramides obſervandas quadam die venerat, ſingulaque intra Pyramidem poſita

posita eam ingressus diligentius considerasset, in eam venit sententiam, ut Pyramis tam profunda esset, quàm supra terram extare videbatur, suspicatusque est, illum puteum, non ad aquam excipiendam, at ut esset via potius ad infernas partes Pyramidis adeundas factum fuisse, cujus rei veritatem, ut cognosceret, à rusticis putei foramen, seu meatus, terra, lapidibusque obturatus, ut mundaretur, cavitasque pervia, ac libera redderetur, omnino nullis sumptibus parcendo, curavit, & postea per funem longissimum intro inditum, & ipse, & alii, & ego unà descendimus passus usque septuaginta, & magna etiam commoditate, cum utrinque putei meatus haberet quosdam lapides eminentes veluti podia, quibus facilis etiam, & tutus descensus reddebatur: postquam descendimus passus (ut diximus) LXX. duas vias quadratas iis, quæ in Pyramidis supernis partibus offendimus, invenimus simul conjunctas in loco vacuo ad quem puteus pervenit, quarum altera ad Sphyngem lapideam, atque altera ad alteram Pyramidem, ad quam nullus patet ingressus, ducebat, ad quas inquam profecti essemus, ni vias à lapidibus qui deciderant obturatas offendissemus, similesque futuræ ruinæ nobis timorem magnum etiam injeciissent. Quare hic puteus non ob aquam olim operi suppeditandam, ut falsò Bellonius credidit, fuit extructus, at ut esset via ad visendam & Sphyngem illam magnam lapideam, non longe ab hac Pyramide positam, atque alteram Pyramidem, quam Reginæ sepulturam vocant, ad quam introeundam exterius nullus patet aditus. Tam longum illiusce putei descensum vel etiam Plinius meminit, quem expressit esse LXXXVI. cubitorum, cujus testimonio fisus Paulus Bigi ipsius totum descensum rimari voluit. Jacobus Manus Salodiensis, Medicus eruditus, ex quo nos multa de rebus Ægypti audivimus & accepimus, aliquando de Pyramidibus inquit. „ Cum multi anno „ MDLXXVII. tam Veneti quam alii aliarum Nationum ad Py„ ramides venissent, ostiumque, quo ad majorem Pyramidem pa„ tet ingressus, ab arenosa terra, qua fere semper clausum est, „ rusticorum (quos Bedovi vocant) opera minus probè mundas„ sent, atque complures ingressi essent, redeuntesque denuo

„ ostium

„ oſtium arena fere obſtructum cum offendiſſent omnes egre-
„ di nequiſſe, ſed duos ex iis ibi pernoctare coactos fuiſſe,
„ quorum alter Venetus, & alter Siculus erat, neque iſtac die
„ oſtium aperiri potuit, nocte enim adventante, cum longè
„ ab urbe abeſſent, Arabum metu in urbem redire, ſocios-
„ que ibi noctu relinquere fuit neceſſe, quos tamen non citra
„ laborem ſequenti die ſanos eduxerunt, qui ſe à noctuis,
„ aliisque volucribus, veſpertilionibusque tota ea nocte valde
„ laboraſſe retulerunt.„ Sequitur altera Pyramis quæ priori paulo minor viſa eſt, jactu lapidis diſſita, de qua nihil aliud dicemus, quam ipſam exterius gradus per quos fiat aſcenſus nullos habere; quinimo latera ſingula marmorea plana, perpolitaque in ea obſervari, nullumque oſtium exterius hucusque in ea fuiſſe cognitum per quod aliquis ingreſſus pateret. Unde cum ſepulchrum vel Regis alicujus, vel, ut multi exiſtimant, Reginæ cujuspiam extiterit, quod ſane ab omnibus Ægyptiis verè creditum eſt, credibile itidem videtur, ut per majorem Pyramidem intra ipſam fuerit ingreſſus, quippe, ut à Reverendo Bigi primum ſuſpicatum, cognitumque fuiſſe nuper narravimus, per puteum, atque per vias quadratas à profundo putei incipientes, quarum alteram ad Sphyngem proximam, alteramque ad hanc Pyramidem pervenire ex pyxide navigatoria certo deprehendimus. Tertia, longe minor, itidem deprehenſa eſt undique clauſa, nullisque gradibus exterius exornata. Longe plures, & in hac eadem planicie, aliæ Pyramides parvæ, & in aliis Ægypti locis extant, de quibus, cum illas non viderimus, nihil dicemus, uno excepto, quod omnes ſint mortuorum ſepulturæ. Sed tandem ad magnum illum Coloſſum, Sphingem vocatum, prope primam Pyramidem, ex maximo, integroque lapide extructum, venimus. Hoc quidem maximum ſaxum eſt marmoreum, in quo ingens quædam facies, latiſſimaque, Cairum ſpectans, maximo ſane artificio in omnibus partibus ſculpta viſitur, namque ipſius mentum, os, naſus, oculi, frons, auresque ex artis ſculpturâ magno judicio exſculpta videntur: nullum in ipſo lapide apparet oſtium per quod ingredi intus queas, at credibile eſt, ut & à nobis dictum

ctum etiam fuit, ipſum Coloſſum per majorem Pyramidem proximam habuiſſe ingreſſum: credibile quoque eſt ipſam Sphingem, cum olim reſponſa daret, intus loca vacua habuiſſe, ad quæ ſacerdotes ingrederentur, ut reſponſa Sphingis vice ſupplere poſſent.

Caput VII.

De conditis Ægyptiorum corporibus, quæ Mumias vulgus appellat, deque ipſorum ſepulchris.

Credunt Ægyptii, & meritò quidem, Pyramidum uſum ad ſepelienda, vel conſervanda condita cadavera, ſepulchris vulgo vocatis multo antiquiorem eſſe. Unde & aliud (quod Ægyptiis multis creditum eſt) haud injuria itidem credi poterit, quippe totam illam planiciem in qua & Pyramides, & ſepulturæ intus in lapides excavatæ cernuntur, fuiſſe montes marmoreos, ex quorum lapidibus (etſi hi ſoli lapides ad illas ingentes Pyramidum moles extruendas minimè ſuffecerint) ex parte Pyramides illas extructas fuiſſe, quæ veritas hac una conjectura facile confirmabitur, ſcilicet quod tota illa planicies decem, & plurium etiam milliarium ſpacio contenta, quæ videtur arenoſa, ſit lapidea, non ſpontè à natura, ſed ab arte, ſculptura ſcilicet, elaborata, atque etiam, quod lapideis montibus ſit contermina. Itaque poſt uſum Pyramidum pro ſepulchris, qui fuit olim Regum, Principum, & Magnatum, invaluiſſe poſtea uſum conſervandi condita cadavera in quibusdam cubiculis intra hanc ſaxeam planiciem excavatis, ſeu in parvis quibusdam cellulis lapideis exſculptis. Itaque ſepulchra illa innumera fere in ea planicie ad hanc usque diem integra ſervata offenduntur, atque, ut fuit veterum Ægyptiorum erga parentes, & amicos amor, atque humanitas benevola, ita curarunt, operamque dederunt, ut quemadmodum dum viverent, ſimul eſſe gaudebant, ita poſt mortem non minus usque ad reſurrectionem mortuorum ſimul, unde pa-


1
2
3
4
4
4
3
3
3
3
3

parentes ad ſepelienda ipſorum cadavera cellulas in lapide marmoreo excavatas fieri curabant, quæ amicorum itidem ſepulchris conjunctæ eſſent, & oſtium etiam habebant, per quod ex una in aliam ingreſſus pateret. Curabant ſanè ut in ipſis ad latera in loco eminenti reponerentur cadavera patrum familiæ, ſcilicet mariti, uxoris, filiorum: & mancipia, ſervique conditi humi ſtrati procumbebant, unus ſupra alium, adeo ut in ipſis parvis cubiculis in lapide excavatis fere omnibus quæ vidimus circa ipſarum parietes nobilium cadavera condita in loco eminenti ſpectentur, compluriumque etiam nobilium & pictæ figuræ ex ligno parietibus affixæ pendebant, atque etiam ex gypſo quorundam imagines confectæ, præſertimque mulierum ex pictura coloratæ, habentes ſicas parvas auratas, Ægyptiis quibusdam antiquis characteribus inſignitæ. Dominicus à Rege, qui triginta, & plures quoque annos pro Veneta natione Pharmacopæam, & Chirurgiam Cairi fecerat, ex Ægypto proximis annis Venetias reverſus, complura & virorum, & mulierum defunctarum ſimulacra & ex ligno, & ex gypſo cum ſuis coloribus accuratè configurata, & picturis variis, pulcherrimisque ornata, Venetias tulit, quas cuidam antiquario cum multis aliis antiquitatis monumentis vendidit. Innumera intra eam lapideam planiciem cubicula concamerata extant, alia rotundæ, alia quadratæ figuræ, cadaveribus medicatis plena. Ingrediebamur intra ſepulchrum unum per meatum rotundum deſcendentes, atque ex uno cubiculo per internum itidem foramen rotundum in alterum tranſivimus, & ex his in alia numero ferè infinita. Non ſatis certè hactenus veterum Ægyptiorum ſapientiam in ſuis cadaveribus in hisce ſepulchris perpetuò conſervandis video ab aliquo, ut res ipſa expoſceret, fuiſſe debitis laudibus concelebratam. Eam gentem apud quam olim ille ſepeliendi mortuos modus fuit familiaris, Idololatram extitiſſe, facili, certaque conjectura aſſequimur, quod ſingula cadavera medicata, Mumiæ vulgo vocata, intus contineant aliquod Idolum, aut vitreum, aut lapideum, aut æneum, quæ * Idola in ipſis va-

* Vide TAB. I. Num. 2. & 3.

riorum generum esse deprehendimus; nos ex communibus plura habemus intra illorum corpora inventa, hæcque quadantenus in facie, & capite humanam, muliebremque figuram representant, quædam figuras ignotas, quæ bruta animalia ex insectis quæpiam esse constat. Nos intra quoddam medicatum cadaver invenimus scarabæum magnum ex lapide marmoreo efformatum, quod intra pectus cum libanotidis coronarii ramis colligatum, fuerat repositum. Incredibile dictu, rami rorismarini, qui una cum idolo inventi fuerunt, folia usque adeo viridia, & recentia visa fuerunt, ut ea die à planta decerpti, & positi apparuerint. Quæ cadavera spacio ad minus duorum millium annorum incorrupta, integraque fuere in hisce sepulcris conservata, & duratura quoque in perpetuum sunt. Sed unum non est omittendum, scilicet quibus hæc corpora perpetuò duratura olim Ægyptii condire consueverint: de qua re opinionem vulgarem fuisse constat, ut compositum medicamentum quo condiebantur cadavera, ex myrrha, aloë, croco, opobalsamoque esset, quam fortè sententiam secutus est Serapio, qui inquit. Mumiam sepulchrorum esse myrrham, aloemque cum eo quod admiscetur iis de humiditate corporis humani. Strabo inquit, bitumen Judaicum olim usum habuisse ad tuenda hominum cadavera. Dioscorides vero, Galenus, Diodorusque Siculus, atque alii ex veteribus cedriam fuisse aptissimam ad cadavera conservanda tradiderunt. Petrus Bellonius credidit bissasphalto omnia Ægyptiorum condita corpora fuisse, à qua opinione non judico esse discedendum; cum Mumia, quæ extrahitur ex conditis, seu medicatis illis cadaveribus, nihil aliud esse videatur ex colore nigro splendente, odore, & quadantenus etiam sapore quam bissasphaltum. Non tamen negandum in quibusdam nobilium cadaveribus præter bissasphaltum, fortasse fuisse additam myrrham, aloëm, crocum ad odorem, & in aliquibus opobalsamum. Sed ut ingenuè fatear veritatem, nos in Mumia nobilium cadaverum quæ ex locis eminentibus concameratorum illorum sepulchrorum, aliis humi stratis superstantia, & sublimius posita dignoscuntur, & in illa plebeorum, & pauperum humi stratorum, nullam manifestam

niſeſtam differentiam, tametſi id diligentius fuerimus perſcrutati, ex colore, ſapore, & odore obſervare potuimus. Cedria vero ea corpora non fuiſſe condita, color, atque odor ſatis teſtari videntur, cum cedria non ſit coloris bituminis, neque odoris, neque vel etiam ſaporis. Ignoramus etiam unde tanta cedriæ copia, quæ ſuffecerit ad omnia Ægyptiorum cadavera condienda, fuerit illis ſuppeditata. Sed de hac re, aliorum quoque eſto judicium, hæc enim obiter dixiſſe voluimus, demum unum aliud quoque duximus animadvertendum, ſcilicet, Mumias antiquorum non fuiſſe corpora Ægyptiorum, Arabumque quovis modo ſiccata; maximeque quæ in deſerto ab arena ſuffocata interierunt, ſiquidem complura in arena quod ſit nitroſæ facultatis quotidie ita exſiccata obſervantur, ut perpetuo, ſi in loco idoneo conſervarentur, duratura, perinde atque illa quæ medicamentis condita in ſepulcris conſervantur, forent. Multis in locis in Ægypto propter ſolum nitroſum, & arenoſum, corpora quæ in eo ſolo ſepeliuntur in Mumias ſiccantur, ex quibus omnes illos qui iſtorum corporum ſiccatorum carnem ſiccatam accipiunt pro Mumia, ſatis errare liquidò conſtabit. Hic addo ex Diodoro Siculo, Ægyptiorum uſum ad ſepelienda cadavera; quippe ea domi plures dies ſervata, poſtea à Memphi per lacum naviculis ad ſepulcra, quæ X. milliarium ſpacio diſtant, deducere fuiſſe ſolitum: Ex quo Græci finxerunt animas mortuorum à Charonte per naviculam paludem Stygiam transvehi, ut ad campos Eliſios deducerentur. Quod ſi verum eſſet, nos quoque lacum Stygium pertranſiiſſe ad Mumias ſæpe profectos haud dubitandum erit.

Caput VIII.

De Raſſit, atque Damiata Ægypti nunc Urbibus.

Raſſit eſt oppidum ad oſtium Nili Canopicum, ab antiquis Canopus dictum, ab oſtio per quod Nilus in mare Ægyptium exoneratur quinque milliaribus diſtans. Alexandria per

diem terreſtri itinere ad hanc urbem itur, quæ omnium rerum ad victum attinentium eſt opulentiſſima: ab hac trium dierum ſpacio per Nilum flumen navigant: Locus eſt viridariis multis adprimè amænus. Ex Civitate Cairi in Damiatam, olim Peluſium vocatam, quatuor diebus per alterum ramum Nili cum illo qui ducit Raſſit, atque cum mare Ægyptio, Deltam inſulam conſtituente, parva navicula pervenimus, atque eundo ſupra flumen coacti fuimus cum latronibus pugnare, quam ob cauſam itinera in Ægypto ſolent eſſe periculoſiſſima. Dum per Nilum navigaremus vidimus planiciem fertiliſſimam, atque amæniſſimam utrinque à natura factam, & quo proprius Damiatæ appropinquaremus, multo amænior viſa eſt, quoniam plus ea pars Ægypti, quod ſit aliis humilior, à flumine, & commodius irrigetur. Parva Civitas eſt, intus ſatis indecora, quæ villam potius æmuletur, opaca, immundaque eſt: portum in oſtio Peluſiaco haud multum diſtantem habet opportuniſſimum, ad quem naves multæ è Hieroſolyma, Syria, Cypro, Creta, & ex aliis locis navigant, quæ piſcibus ſalitis onerantur. Juxta hanc urbem in Nilo ranas, quæ pauciſſimæ ſunt, luteique ferè coloris, offendimus, quas nusquam in alio Nili loco nos audiveramus. Loca extra urbem poſita nobis amæniora viſa ſunt quàm alia in Ægypto videre potuerimus; neque alia ratione id evenire putamus, quam quod habeat ſolum demiſſius, majori fluminis aquæ, quæ ibi copioſior abundat, inrigatione foveatur. Nuſquam viridaria neque numeroſiora, neque pulchriora, fæcundioraque in Ægypto viſuntur, quæ effoſſis ab canalibus circumdantur (perinde ac agri in Italia) Nili aqua plenis, in quorum ſuperciliis Caſſiæ arbores, inſtar nucum juglandium in agro Patavino virentium, pro vitium ſuſtentatione habent; unde caſſiarum racemoſi flores multi aurei coloris in vitium foliorum amæniſſimo colore expanſi, miſtique aſpectum reddunt jucundiſſimum. Hæc viridaria abundant muſis copioſioribus, iisdemque vegetioribus pulchrioribus-ve ambd arborum altitudinem, & caudicis craſſitiem accedentibus quam alibi viderimus; malis itidem citriis, aurantiis, limonibus, liguſtris Ægyptiis, paliuris, atque aliis ſtirpibus,

quæ

quæ ſingula ſimul mixta aſpectum in ipſis viridariis reddunt jucundiſſimum, atque amæniſſimum. Via eſt lata ab hac Civitate juxta Nilum flumen quo Damiata itur ad Villam Menzelavi vocatam, foſſis latis aqua plenis, agris, viridariisque interſtincta, quod eſt ita in Ægypto rarum, ut nullibi alias inveniri queat, quando in hac regione vel campi ſint, vel arena, vel flumen, ita ut nullæ viæ in tota Ægypto exiſtant, cumque in ea via ambularem, videbar mihi eſſe juxta Patavium, in via qua itur ad Reverendos Capucinos per locum Vantium nuncupatum.

Caput IX.

De Calice in Templis, domibusque Ægypti picto, atque de ejus hiſtoria.

Nullum Templum, nullaque domus ferè in Ægypto reperitur, maxime vero in Cairi civitate, quæ multis in locis pictum vel inſculptum † calicem cum hoſtia, & duabus tedis utrinque non habeat. In Syria quoque iidem calices picti in multis locis reperiuntur, qui cum Syria ſub Ægypto eſſet, etiam iſthic obſervari cæperunt, quod in Federici Imperatoris ab Rege Ægypti capti memoriam fieri aſſerunt. Inquiunt enim illum Imperatorem, Hieroſolymam ex Mahometanorum dominio liberare cupientem, per ſe ipſum primum eam Ægypti regionem explorare voluiſſe, ut vires tanti Regis Ægyptii, cujus imperio tota Hieroſolyma ſtabat, ejusque potentiam oculatius cognoſcere poſſet: de qua re Alexandrum Tertium Pontificem maximum conſuluiſſe, eique ſoli ipſius deſiderium, inſtitutumque aperuiſſe: illud Pontifice annuente, laudanteque, iter aggreſſum fuiſſe. Quæ tamen omnia quidam à ſecretis Pontificis, Imperatoris odio, ementita ipſius Pontificis manu, & ſigillo ipſius, Ægyptio Regi ſcripſit, eoque Chriſtianorum Imperatorem iturum ſignificavit, ut Ægypti opes, & ſtatum perſonatim cognoſcat, quod Hieroſolymam expugna-

† Vide TAB. I. Num. 4.

gnaturus esset, signaque præcipua quibus Imperatorem recognosceret addidit; Quæ omnia Rex Ægyptius libentissimè audivit, continuoque custodes posuit in locis omnibus maritimis ad quæ Naves feruntur; ipsisque imperavit, ut omnes qui ad ea loca pervenerint, ad se ducerent. Nec multo post Imperator cum sacerdote appulit ad Ægypti portum, qui ad Ægyptium Regem adductus, probeque ex signis recognitus, accuratissimeque inrerrogatus quis esset, quamobrem Ægyptum adiisset. Ad quem Imperator cum respondisset, se esse hominem Germanum, qui cuperet sanctissima loca in Hierosolyma, & videre & adorare. Ægyptius Rex tunc dixit: Non me latet te Imperatorem Romanum Christianorum esse, teque huc veniisse, ut hæc regna mea videres, atque deinde ipsa bello invaderes: quod cum firmiter negasset, ei literas, quas falso à Pontifice acceptas credebat, ostendit: quibus lectis, dum annulum Piscatoris; mentitamque Pontificis subscriptionem intueretur Imperator, obmutuit, & quid amplius responderet, ut iterum in negatione constanter perseveraret, non habebat, eaque literarum visione victus, persuasusque, suum secretum institutum Ægyptio Regi à Pontifice proditum fuisse, apertè Imperatorem se esse, fassus est; illuc verò minime venisse exploratorem affirmavit; sed ut sanctissimum Christi sepulcrum inviseret, ac adoraret: at per Ægyptum viam, iterve ea præsertim causa tenuisse, ut oculis usurparet, quæ de illius Regni potentia, atque Regis optima moderatione audierat, miraque quæ in eo Regno esse fama erat, conspiceret, cognosceretque. Verum multis inter ipsos dictis, adductisque, in eam sententiam Ægyptius Rex adductus est, ut tantum Imperatorem honorificentissime exciperet, atque ut totum Ægypti Regnum liberè inviseret, si vellet, concessit. Neque enim, inquit, vestra arma timeo, licet aliis Regibus istud non placeret, quippè hostilem Regem sua Regna, potentiamque explorare. Imperator per multos dies in Ægypto moram traxit, perpetuò magno honore ab Ægyptio Rege affectus, cumque vidisset tanti Regni, Regisque opes, magnificentiamque, à Rege facultatem petiit Hierosolymam versus proficiscendi, ad

suos.

ſuosque redeundi, quod ut facilius obtineret, ſe illi eam auri ſummam daturum promiſit; qua capti Imperatores redimuntur. Quam rem ut libentius (ſubdidit) mihi concedas, tibi pignus relinquam, quo mihi nihil carius, neque in terra, neque in cælo eſt. Ægyptius conditionem accepit, cui Imperator Calicem, ſacroſanctam ſynaxim in arcula clauſam cum duabus accenſis tedis una cum ſacerdote cuſtode reliquit. Verum enim vero poſt multum tempus Ægyptius Rex, quid Imperator pro pignore ſibi reliquerit ſciendi avidus, arculam aperiri juſſit, in ipſaque invenit Calicem cum hoſtia & duabus parvis tedis accenſis, tot diebus minimè conſumptis. Quæ res omnibus fuit plurimum & admirata, & concelebrata: atque exinde cæperunt omnes Ægyptii Calicem cum hoſtia, & duabus tedis accenſis foris in parietibus atque in Templis, ac ædibus depingere, vel ſculpere, deincepsque noſtros ſacerdotes ſummè venerari. Imperator locis ſanctis Hieroſolymæ viſitatis, eaque ſumme veneratus, domum reverſus, inſignem auri copiam, atque longè majorem quam ei promiſerat, muneraque tanto Imperatore digna ad Regem miſit, arculamque cum cuſtode recepit. Poſteaque eò ipſius ira odiumque adverſus Pontificem venit, ut ipſi bellum inferret, quem ſui proditorem crederet; quod magnis collectis copiis fecit, ipſumque Roma fugere coëgit. Cumque Pontifex Venetiis (ubi diu in Cœnobio latuerat) recognitus eſſet, à Senatu ſummis honoribus ſuſceptus, affectusque fuit. Quod cum Imperatori innotuiſſet, claſſem contra Venetos miſit, Othone filio duce, qui quamvis viribus Venetis longè ſuperior eſſet, tamen ejus providentia, quæ innocentiores ſemper defendit, à Venetis ſuperatus, Venetique Senatus opera proditore cognito, Pontifex innocens in ſuum locum magno honore reſtituitur. Hæc eſt hiſtoria Calicis, qui cum duabus tedis accenſis multis in locis pictus, ſculptusve, etiam hac noſtra ætate ſpectatur. De qua hiſtoria illud unum Ægyptiis credendum duco, quippe Regem quempiam, fortaſſe Ludovicum V. non Imperatorem ſed (Galliarum Regem) in Ægyptum profectum ab Ægyptio Rege captum fuiſſe, illique pro pignore relictam Arculam ha-

bentem calicem cum hoſtia, & duabus tedis. Quod vero Federicus primus Imperator, Barbaroſſa vocatus, fuerit ille, qui in Ægyptum fuerit profectus, & captus, & reliquerit pro pignore eam arculam, plane ab omni hiſtoriarum veritate abhorrere videtur, cum nusquam legatur ipſum iviſſe in Ægyptum. Neque verum eſt ipſum, Alexandrum Pontificem de ea in Ægyptum profectione conſuluiſſe, etenim omnium hiſtoriographorum firmiſſimo teſtimonio conſtat, Federicum odio habere cæpiſſe Alexandrum ſummum Pontificem, quam primum ipſe fuerit in Pontificatu electus, qua de cauſa duos Antipapas Imperator contra ipſum ſubſtituit, eosque defendit: nunquam verò conſtat Pontificem hunc fuiſſe allocutum, niſi poſteaquam Pontifici Venetiis fuit reconciliatus, & Pontifex in locum reſtitutus. Credo equidem aliquibus dicentibus in Ægypto ab Ægyptio Rege eo modo quo de Federico Imperatore dictum eſt, captum fuiſſe quendam Galliarum Regem in quem hiſtoria Calicis, & non in Imperatorem conſultius erit referenda.

CAPUT X.

De Ægypti gubernatione, atque de Turcis qui præſunt Ægyptio Regno.

Quemadmodum olim Ægyptus optimè regebatur, triplexque gentis genus antiquitus hanc Provinciam habitabat, ita nunc fere itidem obſervatur, quippe ut una pars iſtiusce gentis milites ſint, altera ſacerdotes, tertia agricolæ, atque coloni. Etenim Turcarum Reges provinciam quam bello ceperint, populumque quem ſubegerint, ſuoque imperio adjunxerint, propriis legibus, ut vivant permittunt, niſi aliquam defectionem, aut tumultuationem ipſum feciſſe præſenſerint. Quod quidem, & in omnibus locis, maximeque in Ægypto obſervatur, ubi adhuc horrea ſervantur, quæ ſanctus Joſeph inſtituit, legesque quas publicavit in agrorum diviſione (quos fame ingruente ab Ægyptiis ſuo Regi emit) poſteaquam illis

illis illos reddidit, ea tamen lege ut quintam frugum partem quotannis Regi darent, quatuor partibus pro ſe ipſis reſervatis, & pro ſemine, & pro familiarum nutrimento. Quæ conſuetudo inviolabiliter ab Ægyptiis Regibus fuit obſervata, quoad in Turcarum ditionem redacti ſunt, ſub quibus non minus eadem ferè aliquantiſper mutata ſervari conſtat. Horreis quidam præficitur, qui decem aureorum millia in annum quæſtum facit; ſervans etiamnum legem quam Amaſim Regem (auctore Herodoto) tuliſſe ferunt, quippe ut ſinguli quotannis apud Nomarchen, hoc eſt Præſidem, oſtenderent unde viverent, & qui hoc non faceret, aut genus vitæ Præſidi approbare non poſſet, huic pœna extremum ſupplicium eſſet. At verò qui hac ætate vitæ genus probare nequeunt, inter fures recenſentur, ſicque morte puniuntur. Hanc legem ab Ægyptiis Solon, Græcorum ſapientiſſimus, ad Athenienſes, ut creditur, detulit: hanc & Areopagitæ, ut Athenæus refert, ſua in ditione exercuere. Eandem propemodum adminiſtrandi rationem nunc in Ægypto Mauri ſervare videntur, quæ ſub Auguſto, & Tiberio Imperatoribus ſervabatur, quippè ut Prorex eſſet qui totius Ægypti curam haberet, hunc Baſſa nuncupant, cui annuum ſtipendium à Turcarum Imperatore conſtitutum eſt ad centum, & viginti millia aureorum. Deinde eſt qui Græcis Dicæodotes, Ægyptiis Cadi nominatus, in cujus poteſtate eſt hominum lites atque controverſias judicare, ac dirimere: Sunt & alii duo, unus Baitelmal, qui à Romanis Rationalis dicitur, earum inquam rerum indagator, qui aſſertorem non habent, atque eorum non minus quæ in Regem recidunt, quæ fisco ſcilicet obveniunt, non ærario. Alter eſt Quæſtor, quem Deſterdar vocant. Quo facile crediderim hos omnes ordines ex Romanis ad Mauros defluxiſſe. Sunt & in Ægypto viginti quatuor militum duces, quorum quisque ſtipendium habet quatuor ad minus aureorum millia in annum. Hos Sangiach nuncupant, ſunt & quatuor his inferiores, quorum duo militibus equeſtribus præſunt, duo vero pedeſtribus, hos Aga dicunt, & equeſtres milites Spahi appellant. At pedeſtres duplici nomine di-

cuntur, quippe Giannizari, & Aſap. Hi ſtipendium minus habent, illi vero majus, iique Giannizari ſunt, qui domi, & foris Regem cuſtodiunt, ut plurimum ex Græcis oriundi, ex quorum filiis ſingulis annis partem decimam Turca accipit. Horum quatuor ducum unusquisque ad duorum millia aureorum in annum habet. Sunt & Cairi ſexcenti milites ab iis Chiavus nuncupati, qui gradus militiæ ſicuti ducibus illis quatuor, eſt dignitate inferior, atque ſtipendio, ſic milites equeſtres, & pedeſtres idem antecedit. His Rex utitur in legationibus; ii ſunt curſores, & tabellarii. At cum tabellarios meminerimus, non poſſum non recenſere antiquiſſimam & memoratione dignam Ægyptiorum conſuetudinem, quam & adhuc ſervant, nimirum de Columba, qua utuntur tabellarii loco. Etenim & Cairi in Arcis quadam turri Columbas alunt, &, in loco ad quem trium dierum ſpatio tabellarii perveniunt, non minori diligentia, ſeparantque has quæ ſe mutuo diligunt, quippè mares à fœminis, ita ut mas ad unum locum portetur, & in alterum fœmina, quæque ita aſſuefiunt, ut ſi reliquatur fœmina, ſtatim volet ad turrim in qua eſt mas, quem diligit; ſi vero in altera turri ab ipſa dilectus mas relinquatur, ſive foris è turri excludatur, continuò ad locum in quo adeſt dilecta ejus uxor citiſſimè convolat. Hoc modo Columbis multis aſſuefactis, tabellarii loco utuntur. Siquidem cum ad locum à Cairo diſtans trium dierum ſpacio, in quo Columbæ intus clauſæ, & ſeparatæ à ſuis maribus conſervantur, aliquis Tabellarius pervenerit, ſtatim qui loco præeſt ſchedulam parvam ſub ala unius Columbæ colligat, veniſſeque tabellarium Proregi in ea nunciat, columbaque dimiſſa, illicò ad Turrim alteram, ubi eſt quem amat, evolat, ſicque Tabellarii adventus ſemper prænunciatur, raroque Proreges imparati offenduntur. Sunt etiam in ea civitate quatuorcentum alii milites ſuperiores proximè enumeratis, quos Mutafarracha nuncupant, gradusque ipſorum eſt honeſtiſſimus, hique ſunt ab omni onere immunes, neque ad bellum, neque alio proficiſci tenentur, niſi eò & Rex ſimul ſe conferat. Nec ſolummodo ad bellum Regem euntem concomitantur, ſed & quocumque Rex ſe contulerit.

lerit eò & ipsi concedant. Sunt in Ægypto & alii militum, ducumque gradus, quos nunc recensere non est hujus loci, quos omnes Ægyptus breviſſimo tempore locupletat. Unde non parvum fit certamen inter Turcarum Imperatoris Servos, uti iis Cairus contingat, multique ideo sunt, qui ut Cairo præficiantur, Imperatori centum mille aureos persolvant, duoque loca præcipuè ambiunt Turcæ, Ægyptum, & Græciæ præfecturam; nec Ægyptum immeritò: Etenim is, qui ejus Provinciæ Præfectus designatur, antequam Cairi urbem ingrediatur, munera, & honoraria ad centum aureorum millia recipit, quæ habet & ab eo qui Alexandriæ Diarchiæ præest, & ab iis qui præsunt Ægypti Provinciis, quas Nilus utrimque, scilicet dextrorsum, & siniſtrorsum efficit. Et quamvis Prorex, sive Præfectus, quadringentos homines suo sumptu alat, eisque ex suo stipendia tribuat, prætermiſſis aliis sumptibus, qui maximi sunt, tribus tantum annis ordinariè quatuorcentum millia aureorum quæstum facit. At quid dixi ordinarie quatuorcentum millia aureos lucrari? Cum Assan Bassa Eunuchus, quem familiariter Medicinæ causa novi, extraordinarie præter reditum quem in annum singulum ad Turcarum Imperatorem miserat, ex Columba commonitus ipsum esse Batal factum, idest Præfectura à Rege privatum, Hebraimumque Bassa ejus loco Proregem declaratum venire, ut caput ei obtruncet, ex Ægypto abiens, Byzantium ad Regem Turcarum iturus, in via abscondidit bis viginti centum millia aureorum, quorum duobus annis quæstum in Ægypto fecerat, præter decem centum millia cum aliis ducentis millibus aureis, quos pro Casnà, id est pro reditu illiuscè anni secum ad Turcarum Regem tulit. Et Hebraimus quidem Bassa, post ipsum Ægypti Prorex, duobus itidem annis quibus præfecturam habuit, decies bis centum mille aureorum quæstum fecit; quæ, cum Byzantium finita Præfectura ad Turcarum Imperatorem perveniret, prudentiſſimè quidem (quod ipsum non latuerit sæpe auri copiam non paucis apud avarum Regem exitium attuliſſe) ipsi Regi quæstum in Ægypto coactum totum dono dedit, affirmans, tantam auri copiam ipsum, qui Regis mancipium sit, habere fas non esse.

Rex vero, facile ut eam reciperet inductus, reſpondit: libenter abs te hoc munus accipio, certus tuum erga me amorem iſtac pecunia longè majorem eſſe. Itaque Præfecti in Ægypto magnum auri lucrum in ſua Præfectura faciunt, quod Turcarum Imperatores ſcientes, libentius ſumma avaritia ducti plerumque huic provinciæ Eunuchum Præſidem creant, ex iis præſertim, quos ſecum ad mulierum cuſtodiam habent, ut tandem moriente Eunucho res familiaris tota in Regem recidat, namque apud Turcas lex hæc eſt, ut qui absque filiis deceſſerint, bona ipſorum, non in ſuos, ſed in Imperatorem recidant.

Caput XI.

De Ægypti Opibus, ſcilicet de reditibus; de pullitie, de equis, equitibus, atque ipſorum ludis.

Nullam opulentiorem Ægypto regionem eſſe certò affirmari poteſt, quæ regio haud injuria rerum parens à multis vocata eſt, quippe quæ regio fertiliſſima, ac ita optima ſit, ut ab antiquis poſteritatis memoriæ traditum ſit regnante Aulete, Cleopatræ parente, quem peſſimum virum fuiſſe ex hiſtoriis conſtat, ejus reditum fuiſſe duodecim mille aureorum. Hoc vero tempore ſeptingenta millia aureorum ex conſueto proventu Byzantium ſingulis annis ad Turcarum Imperatorem Octobri menſe mittuntur, & nonnunquam decies centena millia, aucto ab extraordinariis ordinario reditu ab Ægypti Prorege. Ipſe enim, ut ſibi Turcarum Regem benevolentiorem reddat, plerumque augere ſtudet Casnà, ideſt Regis ordinarium proventum, nedum ex ſurreptis, expilatisque ab Ægyptiis, ſed vel etiam ex ſuis propriis pecuniis, aliquando ducenta, aliquando trecenta millia, & ſæpe etiam longè plura aureorum addendo. Quinquaginta millia miniſtri in ſuos ſumptus conſumunt: Quinquaginta millia ipſius Regis mandato

to Meccham, Felicis Arabiæ urbem, aſportantur, ut & pauperibus, qui Mahometis eorum Pſeudoprophetæ templo maximo, in quo ſepultum eſſe dicunt, inſerviunt, diſtribuantur, atque ad peregrinos, qui pauperes ſunt, ibi alendos. Reliquum vero reditum, cum in militum ſtipendia in Ægypto impenduntur, tum in nonnullas naves, & triremes, quæ Guès quotidie extruuntur, nec minus etiam in ſtipendia militum, qui quotannis ad Felicem Arabiam mittuntur, ut omittam quod extorquent, expilantque Duces, milites, atque Præfecti, qui illico cum iſtuc venerint, diteſcunt. Ægyptus eam hordei, tritici, fabarum, atque quorundam leguminum copiam producit, ut ad tres provincias nutriendas ſat eſſet, unde fit, ut eorum inſignis copia Meccham, & in Indiam deferatur, hæcque fere ſemper viliori pretio hic venduntur, ut per annum ibi hominem quatuor aureis tritico abundè alas, equum vero totidem hordeo nutriunt. Ex hoc loco Turcarum Rex claſſis commeatum petit, & igniferum pulverem pro bellicis tormentis, non minus, & funes, & ſportas. Pulli in Ægypto, non Gallinæ, ſed fimi equini calore generantur, & in ea quidem copia, ut ipſos, non numero, ſed menſura vendant, ovaque ſexaginta ſextertio, id eſt numo argenteo maidino vocato emas. Sed de pullorum generatione poſterius accuratiorem ſermonem habebimus. Equos pulcherrimos, omnibusque numeris abſolutos hæc regio producit, velociſſimos, audaces, diſciplinabilesque, ut velociores, & qui freno magis obediant, nullum alium alibi reperiri ferant. Horum aliqui duobus mille aureis ſtant, & multo pluris. Inter equos autem deliguntur ſpadices aurei coloris, non minus, & ruffi, quos aſcar vocant. Quemadmodum vero optimos equos Ægyptus habet, ſic & ſtrenuos habet equites, armis, viribus, dexteritateque præſtantiſſimos, ut in Mauritanorum Regno nullum ſuperiorem, & parem neminem habeant: equum equitantes omnia quidem ea Ægyptii præſtant, quæ non modo ab homine fieri, ſed ne animo quidem concipi queant. Arcus, quos pulcherrimos, & varii generis habent, currentes tendunt, & remittunt, atque in velociſſimo curſu ab equo deſcendere, &

ipſum

ipſum conſcendere magna dexteritate valent, hoſteque adventante, cujus ictum effugere nequeunt, ſe ſub equi ventre abſcondunt, ac eo prætereunte, in ephippium redeunt; hocque ſtratagemate vincere didicerunt, atque adeo, ut eorum nonnulli ſint qui hac vafra arte multos occidant. Quidam currentes clavam in altum ejiciunt, eamque capiunt. Alii haſtam è manu emittunt, eamque currendo præveniunt, & capiunt. Alii equo currente ephippium ſolvere, & vincire ſolent: alii ſuper equum recti ſtant currentem, alii ſuper duos, multaque alia præclara facinora faciunt, quæ ad evitandum tædium prætereo. Ad hos ludos videndos ſemel in annum egreditur Prorex cum omnibus militibus, chlamidemque ſericeam, auream, nec non iis ſtipendium dat, qui in ludis præſtantiores ſe gerunt. Inter quos is ludus præcipuus eſt. Erigitur extra Cairum in quadam planicie juxta locum Topana dictum pertica longiſſima, in cujus faſtigio eſt pila ænea, quam qui currendo emiſſa ſagitta attingit, præmium habet, & chlamidem; nihilque pulchrius videtur, quam equites Ægyptios ſimul conſpicere, qui præterquam quod ubique locorum in Turcarum imperio plurimi fiunt, Perſæ quoque equiti, qui ſummis laudibus concelebratur, Ægyptium equitem reſiſtere inquiunt: quo fit, ut, qui ad Perſarum bellum mittuntur duces, ab Imperatore legionem Ægyptiorum petant, ſaltem pro ipſorum propria cuſtodia. Pulcherrimi equitandi modi Ægyptii auctores primi fuerunt, ephippiis utentes, & parvis, & levibus, quæ equo haud oneri exiſtunt, auro, argentoque fulgentibus, nec non frenis, ac ſtapedibus gemmis ornatis. Unumquodque ephippium ſeptingentas ad minimum argenti drachmas habet, ſæpeque ex iis ephippiis Regi Turcæ quædam aliquando dono mittunt, auro, margaritisque ornata, quæ centum millibus aureorum æſtimantur. Equorum pulchritudini, equitum ſtrenuitati reſpondet & induendi ratio; ſiquidem, ut plurimum purpura veſtiuntur, & ſerico, nec non byſſo, auroque. Enſes magni pretii gemmis ornatos, & auratos geſtant: illum vero ex iis equitibus maximo honore habent, qui arcu antecellit, tanti pharetram faciunt, ut cum aliquis alterius ſectæ

ad

ad Mauritanam deficit, ipſum equitando ſagittam manu tenentem per urbem magna lætitia ducunt, & ut propemodum innumeri magiſtri reperiuntur, qui ſagittam emittere docent, ſic nullus reperitur Ægyptius dives, qui unum ex iis magiſtris domi non alat.

Caput XII.

De Ægyptiorum Servis.

Inter Ægyptiorum opes ſervi connumerantur, quibus Ægyptii, & Turcæ maximè delectantur: namque ſervi ferè innumeri Cairi ex variis provinciis convehuntur, ſed omnium maximè ex Nubia, & Abiſſia, cum pueri, tum puellæ. In multis Africæ provinciis, præſertimque in provincia Nubum Decrur vocata, usque adeo miſerrimam vitam homines ob ſoli ſterilitatem ducunt, ut patres, matresque libenter proprios filios venditent mercatoribus, qui eos in Ægyptum ducunt, & tam vili pretio habentur, ut puer, puellavè non plus aureo argenteo apud eos æſtimetur: ſuique parentes vendunt ipſos, ut in alias provincias profecti, commodius, feliciusque vivant, cum in natali ſolo maximè ſterili ii miſerrime vivant. Unum ex Ægyptio Mercatore, ac ex aliis quoque auditum, confirmatumque eſt, puellas virgines octo, decemque annorum Mercatores, ut in tam longo itinere quod ab ipſis in Ægyptum fit expeditius gradiantur, deflorare omnes, quòd iis virginitas ſit ad iter longum expeditè faciendum impedimento. Servæ mulieres triplici colore diſtinguuntur: quædam albæ ſunt, quæ vel ex Italia, vel ex Græcia, vel ex aliis locis captivæ convehuntur, quarum ex pulchrioribus unam centum usque aureis vendunt: quædam oleaginei coloris in nigrum dilutum rubeſcentis, cujusmodi quæ ex Abes, id eſt ex Abiſſia convehuntur, exiſtunt. Hæque cæteris omnibus pulchriores, gratioresque ab omnibus æſtimantur, plurimique venduntur. Una Abes fœmina, quandoque mille aureis propter ejus, & pulchri-

tudinem eximiam, & venuſtam gratiam, vendita ibi eſt. Neque immeritò, cum hæ ſint cæteris omnibus, præter corporis elegantiam qua præditæ ſunt, venuſtiores, gratioſioresque, atque ita diſciplinabiles, ut ingenio cæteris præſtent. Ipſarum corpus, boni eſt habitus, ſuccique plenum, præſertimque ſi ſint in urbe enutritæ: ſtaturæ magis proceræ, quam brevis viſuntur: faciem longam habent, oculos nigros, inclinantem, oblongum, venuſtumque naſum, frontem verò magnam, & ut ſummatim faciem illarum dicam, elegantiſſima eſt. Vafræ ſunt, hilares, venuſtæ, unde viris cariores exiſtunt, plurimumque expetitæ. Turcæ idcirco longè pluris Abiſſinam fæminam quàm cæterarum nationum fæminas æſtimant. Demum ſunt quæ ex Nubia omnium maxime indecora forma cernuntur, quæque minima ſumma emuntur, emuntque ipſas ad viliora domus munia obeunda, ipſisque pro veſtitu tunicam ex linea tela cerulea concedunt, & pro victu nihil aliud quam panem triticeum (omnes ibi panem triticeum indiſcriminatim comedunt) cepas, atque aquam pro potu. Usque adeo fideles, ſervi Abiſſini eſſe obſervantur, ut in Domini ſui commodum potius mille mortes patiantur, quam quicquam adverſus ipſum vel agant, vel loquantur. Remonim, Arabum Princeps, vir quamvis Turca, & nobiliſſimus, & ſpectatæ probitatis, quem ego ſæpe ægrotum curavi, quod ditiſſimus eſſet, ab Aſſan Baſſa, Ægypti præfecto, inſidiis aliquando captus fuit ſimul cum ſervo Abiſſino, cujus curæ fuerant Domini opes pretioſiores. Hic à Prorege interrogatus an ſciret locum in quo Remonini theſaurus ſepultus eſſet, cum tormentis cum ipſo ageretur, ut veritatem fateretur, reſpondit: ſi me neſcire ubi ſit aurum, argentum, atque gemmæ Domini mei dicerem, falſum affirmaſſem, ſed etſi ſciam ubi hæc omnia ſint, tamen millies mori potius quam tibi, vel aliis hoc dicam, patiar, ageque ut vis mecum tormentis uſque ad mortem, nunquam de me quicquam de iis audies. Longe plures alios id egiſſe obſervati ſunt. Servis itaque Turcæ maximè delectantur, præſertimque iis, qui militari arte, equeſtrique diſciplina perdocti ſunt, quos ita plurimi faciunt, ut eos manumittant, aut ipſis uxores domi concedant,

ad

ad gradumque & dignitatem eos evehant; quod faciunt omnes, maxime vero divites, duces Sangiachi vocati, Defterdares, Cadi, atque Ægypti Proreges, qui ſemper centum, & plures etiam pueros habent, quibus præficiuntur Eunuchi; hos equitare, ludere, inque armis exercere Ægyptii ſtudent. Ex his duodecim ſelectiſſimos juvenes equeſtris militiæ peritos, elegantiſſimos equos equitantes, anno à Virginis beatiſſimæ Partu MDLXXX. Prorex Ægypti Turcarum Imperatori Byzantium dono miſit, qui ipſi fuerunt acceptiſſimi, cum ipſisque plurimum delectatus, quotidie currere, ludereque oblectabatur. Eundem ferè modum in ſervorum cura ſervant Turcæ, cujus in Craſſo Plutarchus ita meminit. „ Servos præterea circiter „ quingentos artis fabrilis, & architecturæ peritos emit, nec „ iis tantùm ad propriæ domus extructionem uſus eſt, ſed ci„ vibus ædificare volentibus eorum operas mercede locabat, „ ac ſimul areæ ſpacium cuicumque pro arbitrio ſuo ad ædi„ ficandum vendebat. Cumque argenti ſignati maximam co„ piam, & agros mirificè cultos, in iisque cultorum ingentem „ numerum poſſideret, minimi tamen hæc omnia facienda vi„ debantur præ maxima turba ſervorum, quos variis artibus „ inſtructos, habebat, lectores, ſcribas, pictores, argen„ tarios, procuratores, menſarios, quos ipſemet ſumma „ diligentia curare, diſcentibus aſſiſtere, plerosque etiam do„ cere conſueverat. Ajebat enim præcipuam Domini curam „ circa ſervos eſſe oportere, cum ſint rei familiaris tanquam „ animata inſtrumenta. „ Hæc ad hoc transferri poſſunt, multos ſiquidem, ut dixi, ſervos emunt, iis, ut eorum ſectam ſequantur, ſuadent, veſtimentis, & donis alliciunt, voluptatumque, & divitiarum, atque libidinum illecebris eos ad ſe trahunt: ſin refragentur, minis, inedia, verberibus, convitiis cogunt, quibus adhuc repugnantibus, eorum operas mercede locant, ut fit Byzantii. Qui vero eorum dogmata lubentes ſuſcipiunt, manumittuntur, ſtipendium iis decernitur, atque ut varias artes ediſcant, operam aſſiduè dant. Maximè autem Scribæ, ſutores, calcearii, tonſores, ephippiarii, & id genus alii, adeo ut multi reperiantur qui omnes artes domi alant. Omnes

verò illos duo præcipuè docent, literas, & equitandi modum, hunc quidem, quando nullus apud hos magni fiat, nisi ille sit & miles, illud vero, quod cum legere norint, impossibile, quin eorum sectæ omnino addicentur, tum quia nullum alium iis librum legendum permittunt, quam eorum legem, quam memoriæ mandaverint, tum quod liber ille quem Alchoran nominant, multis in locis habet, hæc dixit Deus, & præcipuè in eo in quo à nobis dissident: fitque ut eorum sectam mordicus teneant, qui eam à pueritia imbibunt, cum eas difficultates submoveat in quibus hæret animus, concedatque quidquid libido expetit, ut earum lex in vulgi gratiam videatur conscripta. Ex servis, qui eorum sectam sequuntur, gubernatores creant per Turcarum regna, quos adeo diligunt, ut citò illos ad summum honorem evehant, iisque imperium committitur, non autem Æthiopi, non Indo, neque Nubi, non denique ulli homini nigro cujuscumque nationis, aut gentis sit, sed solummodo albis, inter quos summopere diligunt Illyricos, Liburnicos, quod eos nunquam perfugas, nunquam proditores, nunquamque à Turca defeciisse tradant. Epirotas vero armis multum præstare putant, nec non Macedonas, atque qui è Servia, Mysia, Thracia, Iberiaque ortum habent.

Caput XIII.

De Nubibus.

Nubes sub Ægypto esse constitutos, aliàs quoque dictum est, qui ab Arabibus incauti capiuntur, atque inde in Ægyptum inferiorem à mercatoribus ea copia adducuntur ut pecudum gregem videas, cujuscumque sexus, & ætatis, qui nudi & vili venduntur, nec minus qui illos emunt sedulò inspiciunt, observant, ac experiuntur, quam facere soleant ementes boves, aut equos, aut alia similia animalia. Horum Cairi proprium, peculiareque emporium est, & proprium vectigal. Ex Nubibus itaque quotannis Cairum multi proficiscuntur, telas

las empturi, ſecum ferentes præſtantiſſimas auri glebas, ipſiusque venam ponderoſam, colore vigentem, quæ pluribus auri guttis ſcintillat, in qua vel plures aureæ lineæ intercurſant, ærarioque publico eas vendunt, ut telas, ac veſtes emant, ex lana, ſericove confectas. In ea regione nudi incedunt præ ingenti caloris æſtu ex calidiſſimo cælo in quo vivunt. Mahometes ſectæ veſtigia inſequuntur, atque in contractibus ita ſe gerunt, ut merces, quæ illuc ab Ægyptiis deferuntur, nullo cuſtode ibi relinquantur. Ita ſeverâ Juſtitiâ ea regio à ſuis Regibus gubernatur, ut nullus vel etiam noctu audeat aurum, vel argentum, vel aliud quod ſuum non eſt, ſi in via offenderit, accipere. In iſtiusce gentis emporiis mos eſt, nihil quicquam nummis ut ematur, aut vendatur, ſed omnia ſimul commutentur in alias merces, &, quod admirabilius eſt, nullis verbis fiunt contractus, ſed ſi quis eorum quæ ſunt in emporio, emere vult, quod pro illo dare ſtatuit ad illud admovet, quod ſi venditori commutatio placeat, non loquens emptor rem accipit, ſin minus eam non tangit, ſicque apud hos emptiones, atque venditiones fiunt, &, ut ingenuè fatear, ſi alicubi fides locum habet, in hac gente eſt, eaque talis obſervatur, ut à decem annis ad Ægyptios Nubes quæ ſua non eſſe putant, detuliſſe conſtat. Anno MDLXXXI. Nubum Rex, ab quatuorcentum hominibus deductus, Meccham proficiscens, per Cairi Civitatem iter habuit, Aſſan Baſſæ Proregi glebam venæ aureæ decem mille aureos nummos æſtimatam, dono obtulit: At Prorex ipſum benignè excepit, eique extra Civitatem cum toto Ægypti exercitu obviam venit, & quamplurimis muneribus ipſum donavit. Hæc enim conſuetudo eſt, cum aliquem Regem, vel Principem excipiunt, ut ipſi, milites, equites, & equorum copiam oſtendant, atque per medios armatos tranſeat curent, quod quidem viſu pulcherrimum eſt.

Caput XIV.

De Stragulis, & accubandi Ægyptiorum uſu, deque vaſis, quæ apud eos in uſu ſunt.

Ægyptii habent ſtragula pulcherrima, tapetesque, & peripetasmata quibus ubique domos ſternant, ibique etiam magno artificio contexuntur, modo auro intertexto, modo argento, modo ſerico, unde mirum non eſt quod antiqui poſterorum memoriæ tradiderunt, ſtragula Babylonica octingentis millibus ab homine privato parata eſſe. Siquidem, & hoc tempore triclinia ſunt in Ægypto maximè ſuperba, magnique pretii, eorum maximè qui à Turcis non ſunt expilati, ſuper ſtragulaque regia comedunt, ſcribunt, & legunt, quod & antiquitus eos feciſſe patet tum ex multis aliis, tum ex Cleopatræ, ultimæ Ægypti Reginæ, cœna, qua Marcum Antonium excepit, à quo ſtupri mercede acceperat Phœniciam, Syriam, Cyprum, Ciliciæ magnam partem, Judæam, & Nabatheorum Arabiam, in qua ducenta & quinquaginta aureorum millia uno ferculo ſecundæ menſæ conſumpta ſunt, uti Rhodius Socrates auctore Athenæo ſcripſit. „ Cum autem Cleopatra obviam pro-
„ ceſſiſſet Antonio in Ciliciam, ibi Convivium Regium, opi-
„ parumque inſtruxit, in quo aulicum omne inſtrumentum au-
„ reum erat, gemmis etiam confertum, ſingulari vascularium
„ artificio. Erant etiam parietes purpureis, aureis peripeta-
„ ſmatis obtenti. Duodecim igitur ad hunc modum tricliniis
„ conſtratis, & inſtructis, Antonium ad convivium Cleopa-
„ tra, quosdamque primorum vocavit, quos ei viſum fuit. Ibi
„ Antonio apparatus magnificentiam cum ſtupore admirante;
„ omnia ſe illi dono dare reſpondit, & ſubindè in diem poſte-
„ rum cœnam ei condixit; ad quam cum veniſſet ille poſtri-
„ die comitatus amicis, & proceribus, eo ſplendore Cleopa-
„ tra, atque ea opulentia convivium inſtruxit, ut heſternus
„ apparatus deſpicabilis præ eo videretur. Ac nihilo ſecius
„ parato convivio, omnia itidem donavit, viſenda ſane mu-
„ nifi-

„ nificentia, cum unicuique convivarum permitteretur, „ & lectum in quo accubuiſſet, & vaſa aurea præterea au- „ ferre, ita ut cuique lectiſternio ceſſerint. His peractis ſub „ ingreſſum Antonii comites, prout dignitate aliqua præcelle- „ bant, ita partim lecticas geſtatorias cum ſervis lecticariis, „ partim equos inſtratos argenteis ephippiis referebant, qui- „ bus omnibus Regina ea, & face prælucentes aſſeclas, digredien- „ tibus repræſentavit. „ Sumptuoſè adhuc vivunt in Ægypto, epulasque lautiſſimas habent, optimè inſtructas, & cupedias. Odoratis ſummopere delectantur, ut & pauperes induſia ligno aloë ſuffitent. Mosco, & ambaro, nec non Zibeto, & Belzuino abundant. Ut omittam reliqua odoratorum genera, quæ ſunt ſtyrax, blæta Byzantia, ideſt unguis odoratus, multaque alia, quæ apud eos nullius ſunt pretii. Janci odorati pulvere modo ſolo, modo cum aliis ſemper manus lavant, quem è Mecchа deferunt. Anaclinteria habent ex holoſerico villoſo, & lodices ſericeas, atque ea quibus eorum cubilia circumteguntur manu docta ex ſerico, & auro ſunt confecta, variis floribus, & animalibus intertextis, in quo quidem opere obeundo mulieres Ægyptiæ omnes alias mulieres antecellere dicuntur. Uſum vaſorum aureorum, & argenteorum Ægyptii rejecerunt, ubi murrhina vaſa adinvenere; quæ ex India afferuntur, & ex ea regione quam Sini vocant, ubi conficiuntur ex variis lapidibus, præcipueque ex Jaspide. Meritoque hæc vaſa omnibus aureis, & argenteis præferuntur vaſis, tum quod mundiſſima ſunt, nec unquam inquinentur, tum quod vim quandam obtineant, & cordis roborandi, & venenis reſiſtendi, cum ex materia conſtent, quæ antidotus eſt ad venena omnia, à qualitate, ut ajunt, occulta. Varii coloris, & generis ſunt hujusmodi vaſa, quædamque præſtantiſſima reperiuntur, quibus utuntur Reges, atque Primates, adeoque à Mauris magni fiunt, ut periti multi inveniantur, qui & fracta reſarciant, hique nulla alia arte vivunt. His vaſis, varia fictilia, quorum apud eos uſus eſt ad potum aquæ addimus. Primum Ægyptii ea ad aquam refrigerandam ex terra alba, nitroque aqua ſubactis parant. In Syria autem ex terra itidem alba,

alba, & ſale per quatuor menſes à ſole relictis. Nitrum, & ſol ad aquæ refrigerationem facere dicunt, nimirum quia vaſa rara reddit, ſicque aëri frigido ingreſſum præbeant. Mecchæ ad virium robur fictilia conficiunt ex ſpodio Græcorum, atque antiſpodio. Multi Byzantii ex terra Lemnia ea moliuntur, maxime qui Lemno inſulæ præſunt, quæ deinde Regi Turcarum, & Proceribus dono dant, atque hoc modo à peſte, quorum Aulæ nunquam ea carere ſolent, Reges præſervantur. In Meſopotamia, & Armenia, ferè omnia fictilia ex bolo Armeno conflantur. Multi & in iis vaſis lapis Bezahar indunt, cum iis non careant, adeo ut ex ſolis Bezahar nonnulla vaſa conflata viderim, maximè apud eos qui à venenis ſibi cavere ſtudent. Heliopoli diei unius itinere diſtat Villa, quam Chaſagbut vocant, in qua foditur terra rubore pallido adeo odorifera ut pro conficiendis fictilibus ad multas regiones deferatur. Hæc mirificè bibentes delectat, vires recreat. Atqui ut vires ſuas promat fictilia per annum reponi debent, quoad ſcilicet, & duritiam comparent, & aquæ qua ſunt ſubacta vis evaneſcat, niſi aqua roſacea, aut conſimili ſint commiſta, veluti aliqui facere ſolent. Apud Reges reperiuntur vaſcula ex animalis, quod nobis unicornu, Mauris Chartit dicitur, parata; atque multi ex Rhinocerotis cornu ea parant, quod easdem vires obtinere credunt. Anno elapſo quidam Princeps Arabum, ut quædam à Rege Turcarum obtineret, ei Paropſides quatuor ex unicornu gemmis magni pretii ornatas, vaſculumque dono miſit; quibus quidem adeo gratiam apud ipſum iniit, ut multa in eum largiſſimè contulerit, ipſumque ornaverit, atque ejus votis plene ſatisfecerit, artifici vero ea extruenti, ne quid furto ſurriperet, aſſiſtebat Arabs, quem cum ægrotantem inviſerem, ea mihi oſtendit, nonnullaque ramenta mihi donavit. In fictilia quibus aquam bibunt, omnes ferè lignum aloë indunt, eaque ſerico artificioſe parato tegunt, atque variæ notæ aquæ occurrunt, nam multa in vini locum ſubſtituunt, ut cinnamomi aquam, & conſimile.

Caput XV.

De itinere ad Meccham, quod quotannis menſe Septembri devotionis, & mercaturæ caaſa fit.

Singulis annis è Cairo quindecim, & viginti etiam Ægyptiorum, Arabum, atque Turcarum millia cujusque ſexus, & dignitatis, Meccham per Arabiam Deſertam orientem verſus ſe conferunt, ut orent, & Mahemetes eorum pſeudo-prophetæ ſepulcrum videant, atque eorum non pauci, ut mercaturam exerceant, quibus præficitur qui cum quingentis militibus eos tutò adducat, & reducat. Quadam igitur die Septembris conſtituta, tota hæc gentis multitudo ordinatim per medium Civitatis transeundo, diſcedit: quem illius multitudinis diſceſſum ut ſpectent, eò omnes ferè Cairini conveniunt. In hac proceſſione ordinatim progrediuntur quini ſinguli procedentes: primo Dux venit, quem milites ſequuntur: poſt milites, quidam Religioſorum, quos Siech Arabes, & noſtri Santoni vocant, ſolo induſio veſtiti gradiuntur, Hi æqualibus intervallis quinque ſimul, aut plures in orbem manibus complexi, continue in eo proceſſu cum clamore vociferantur, Alla Mahemet Reſul Alla, id eſt Deum, atque Mahemetem Dei prophetam, in quo clamore, & vociferatione perſeverant quoad ſpumam ex ore excutiant: Mahemetem ſe æmulari credentes, qui cum Angelum adloqueretur (hoc enim ſtultæ uxori Mahemetes aliquando perſuaſerat) ſpumam in terram proſtratus ex ore emittebat. Innumeri ſanè ex iis peregrinationis gratia viri eum comitatum ſequuntur Meccham profecturi, non minus & innumeræ mulieres cujusque ætatis illud iter eadem cauſa conficiunt; quarum ſi fortè aliqua in eo itinere conceperit, is, quem poſtea pepererit, ex Mahemetes prole declaratur, qui in capite geſtat obvolutum, quod Turpant ii appellant, viridi coloris, quod illiusce coloris aliis qui non ſint ex Mahemetes prole geſtari lege prohibitum eſt. Itaque omnis hæc gentis multitudo Meccham proficiſcitur, ut ſe-

pulcrum Mahemetes pſeudoprophetæ ipſorum videant, venerenturque, non minus ut ipſum in ſuo templo adorent, & orent. Hoc verò ſepulcrum eſt in Civitate, quæ ab illis per antonomaſiam Medina dicitur, cum Medina ad omnes Civitates nomen generìcum ſit, ſed eo nomine ea Civitas vocata eſt, quod habeat corpus prophetæ illiusce gentis. Neque ipſius monumentum (ut perperam alii dixerunt) ex arca ferrea conſtat, aut magnetis lapidis vi in aëre eſt ſublatum, ſed eſt in terra, ut nos à multis notæ fidei accepimus, humili loco poſitum. Quanquam autem Medina è Cairo venientibus primum occurrat, Mecchaque longius diſtet octo dierum ſpatio, inter quam, & Cairum quadraginta dierum iter intereſt, tamen Meccham primum recta via ſimul proficiſcuntur, deinde redeuntes ſeparatim Medinam. Quòd ſi omnes una Medinam venirent, cum aqua careat, unicusque tantùm ſit puteus, qui aquam ſuppeditet, tanta multitudo hominum, & animalium ſiti periret, quod ut vitent, non omnes ſimul eò ſe conferunt. Accedit etiam, quod monumenti locus tantam turbam non caperet. Mecchæ eſt delubrum maximum, Regiis, & ſuperbis tapetibus ornatum, in quo lumen quoddam cælitus demiſſum ſe videre ſibi ea gens falſò perſuadet. Mecchæ, & Arabiæ Felicis parti quidam, Seriph nomine, dominatur. Hoc autem nomine (ut dixi) omnes à Mahemete oriundos nominant, qui linteis coloris viridis ſua capita obvolvunt. Seriph, ubi peregrinos, & duces, qui tres exiſtunt, unus ex alia Felicis Arabiæ parte profectus, alter ex Syria, tertius ex Masvè, ſive Cairo, Meccham prope accedere intelligit, quindecim millibus equitum, totidemque peditum ſe accingit, Meccham relinquit, ad montesque fugam arripit, filios duos obviam Ducibus mittens, ſibique cavet ne à Turcarum Imperatore dolo capiatur, quod idem alias fruſtra tentavit. Aquæductu lapideo aqua Meccham è montibus ducitur, atque in hortum quendam Seriph colligitur, quam quatuorcentum mancipia Æthiopica utribus gerunt, & peregrinis venditant; qui ſi diutius quam mos eſt ibi commorentur, eos diſcedere cogit, aquas aliò avertendo, canalesque claudendo. Mecchæ vero peregrinos viginti dies morari conſuetum eſt, adeoque hoc iter cen-

centum diebus absolvunt, eundo, commorando, atque redeundo. Ultra Meccham unius diei itinere mons offenditur, quem Arabes Arafat vocant, ubi Abraham Isach filium sacrificare Deo voluisse, credunt. Inibi unusquisque agnum occidit, carnem pauperibus distribuens. Inter Turcarum autem Imperatorem, & Seriph hæc antiqua fuit consuetudo, ut Seriph, & ejus filiis, atque iis qui ab ejus secretis sunt, chlamides sericeas, auro, argentoque contextas, equos, arcus, pharetras, ephippia gemmis ornata, Rex Turcarum mittat. Contra Seriph ad Regem dat Agallochum, santalorum genera, cinnamomum quod ab Indiæ regulis habet, margaritas, moschum, ambarum, vasa murrhina, ducenta carbasa tenuissima, quibus Turcæ ipsorum capita involvunt, quorum quodlibet quindecim, & viginti etiam aureis stat. Dat & opobalsamum, cujus planta juxta Medinam Civitatem spontè provenit, & inter Medinam, atque Meccham, & copiosius ultra Meccham nascitur. Quædam rursus plantæ balsami in itinere à Cairo Medinam tribus diebus à Medina offenduntur; ex quo loco, atque è Meccha, ut ex multis audivi, anno a Virginis partu Ægypti Prorex Eunuchus Messir nomine, jussit ut peregrinorum Meccham eo anno euntium Præfectus Halibei vocatus, viginti balsami plantas afferret, quæ eo in loco Cairi insertæ fuerunt, ubi antea balsamum satum fuerat, scilicet in horto Mattarez, quæ postmodum aëris vel injuria, vel soli, aut topiariorum negligentia interierunt. Itaque quotannis Meccham, & Medinam multitudo peregrinorum proficiscitur terrestri itinere, quæ redit centum dierum itinere. Quo tempore innumeræ naves etiam è Sues, & Tor ad Maris Rubri littus Giden appellunt, qui locus à Meccha duorum dierum itinere distat, & præterquam quod multæ naves merces varias habentes eò ex Ægypto navigant, duæ præsertim singulis annis, & tres Liburnicæ regiæ illuc mittuntur, quæ fabam, oryzam, butyrum, caseum, panem, triticum, farinam, mel, & alia hujusmodi in peregrinorum usum deducunt. Quidam illis & equos, & alia animalia vehunt: itineri vero se committunt mensibus Augusti, atque Septembris, cum reliquo tempore id minimè liceat, aut non sine discrimine fiat.

Caput XVI.

De Comœdiis, quæ in Nili fluminis inciſione fiunt: de Circulatoribus: de ruſticis mulieribus, quæ & ſaltant, & alia ludorum genera coram hominibus exercent.

Solent Ægyptii inter varia ludorum genera, & lætitiæ ſigna, quæ poſt Nili fluminis inciſionem variis modis facere conſueverunt, etiam Comœdias recitare, ſcenam ſupra ramum fluminis, per mediam Civitatem Cairi excurrentem, Caliz vocatum, parantes, atque etiam nonnulli in privatis locis easdem recitant. Inſtitutum eorum recitantium eſt, ut quam maximè delectent, & cum ſciant eam gentem libidinoſis præſertim hiſtoriis delectari, hinc eſt, quod ſuæ Comœdiæ non in nuptias, ut apud nos fieri ſolet, deſinant, ſed in venereos cujusque generis libidinis actus obſcenos: unde ad hunc finem variis perſonis in Comœdiis, hiſtorias, atque hujusmodi in re venerea exitus ſibi acceptiſſimos repreſentant. Sunt tamen aliqui qui privatim in Comœdiis vel etiam varias hiſtorias de rebus honeſtis recitare ſoleant, fere Plautinas comœdias imitantes. Ex iis ſunt aliqui qui intra ſcenam ex tenuiſſimis linteis paratam latitantes, quadam mirabili arte ex umbris in ſcena productis, faciunt apparere perſonas varias recitantes, cujusque ſexus, & ætatis, atque animalia itidem cujusque generis prout ad hiſtoriæ repræſentationem eſt opus. Memini me Cairi apud Conſulem pro Rege Galliarum non ſine magna admiratione vidiſſe repræſentari hujusmodi Comœdias per umbras, varias perſonas repræſentantes, quæ umbræ ita invicem loquebantur, ut omnibus appareret, voces, & orationes ipſasmet proferre. Si noſtri Comici hanc artem callerent, ut quæ volunt, per umbras repræſentare poſſent, quam admirabiliores Comœdias facerent, admirabiliaque in ſuarum Comœdiarum interſceniis quam minimo ſumptu repræſentare poſſent, nimirum per umbras fingentes

tes homines quoscumque voluerint, & animalia cujuscumque generis, domos, arbores, locus, flumina, fontes, agros, lucos, & quæcumque illis placuerint. Siquidem, ut mihi relatum à multis fuit (licet Ægyptii ii nunquàm ullo vel etiam magno pretio hanc artem docere voluerint) varias illas umbras Comœdiæ perſonas repræſentantes, ex variis quidem flammarum, vel è lampadibus luminum coloribus fieri, accedente etiam ſimulacro, ſive figura illiuſce perſonæ, vel illius rei quam in ſcena repræſentare ſtudent. Fateor hanc eſſe mirabilem artem, ſed fateor quoque me nunquam quomodo hoc vere ab ipſis fiat intelligere potuiſſe. Jam ad Circulatores descendimus, quibus & viris, & fœminis Ægyptus non minus quam aliæ Nationes abundat, ii etenim ſunt usque adeo hilares, ſcenici, faceti, atque riſum moventes, ut nulli ex noſtris, ipſis in hoc præferri queant. Abundant ſemper jucundiſſimis facetiis, apprimeque ridiculis, ut circumſtantes voluptate eximia afficiant tam ex iis quæ dicunt, quam quæ faciunt. Ita docti ſunt, & prudentes, ut beſtias feras nedum cicures reddant, at quinimo eas non minus diſciplinabiles: illas enim usque adeo probè perdoctas, ac bene inſtructas reddunt, ut facile credas lupum, urſum, vulpem, aſinum, capram, ſimiam, canem, omnia, ut homo, intelligere, & ratione uti. Hæc animalia ſimul vivunt, & pacificè quidem ita, ut nullum ipſorum alterum unquam offenderit. Quid dicemus de artibus, quibus ipſa perdocta, varia, & admirabilia faciunt? fingunt ſe ebria ex vino epoto dormire, exultant, tripudiantque, variis modis ambulant, equitant, currunt, fingunt ſe loqui, & reſpondere ex propoſito circuitori. Particularia omitto brevitati ſtudens, atque etiam quod ab aliis hæc fuerint diligentius in hiſtoriis Africæ narrata. Sed quid iſtuc? cum vel etiam ſerpentes cicures ita reddant, & perdoctos ut mira facere cum iis videantur. Sæpe mihi evenit, cum iis qui ſerpentes oſtentant, & cum ipſis fabulas ridiculas agunt, interfuerim, ut ſerpens ad me veniret, magno ſane meo cum timore, etenim Circulator qui ſerpentum ridiculis, ſimulque admirandis geſtis homines delectabat, cum inter alios haberet magnum ſerpen-

tem decem pedibus longum, brachiali hominis craſſitie, capite magno, oblongo, atque lato, ore magno, dentibus longis multis acubus ſimilibus, oculis non parvis ſplendentibus, colore totius corporis ad anguis vulgaris colorem accedente, qui id proprii habet, ut colli partem capiti ſubjacentem cum ventris portione, dum incedit in veli rotundi modum expandat, figura, & cavitate vulgaris Gatini, atque eo modo ita celeris eſt curſus, ut eo velo volare videatur, eo modo quo velis naves à ventis moveri ſolent: de quo poſterius ſuo loco agam accuratius. Itaque hic ſerpens ita perdoctus eſſe à Circuitore videtur, ut intra hominum coronam, quæ à multis ſpectatoribus fit, in terra liberè expatians, ſerpensque, ad eos ſpecialim moveatur ad quos vir circumforaneus ei juſſerit, pluriesque ad me ibi ad hoſce ludos videndos adſtantem, cum dixerit ei, Rha el Achim frangi, ideſt, i ad medicum Italum, continuò veniebat, quod ſi locum ſæpe mutaverim, tamen ſi circuitor ei jubebat ad Medicum Italum venire, ſtatim greſſus ad me movebat, qui, cum ille vir cognoſceret me ab ipſo ettimere, & fugere, ſerpentis cauda comprehenſa à me ipſum retrahebat. Idem faciebat ſi ei indicaverat circuitor, mercatorem Italum, vel alterius nationis virum, ut conveniret. Sed jam ad fæminas ſaltatrices, & circuitores nunc venimus. Hæ ſunt ruſticæ, quas Bedovi appellant, planè ſimiles vulgo Cingaris. In Ægypto haud licitum eſt mulieres agere de ſe ipſis, quæ volunt, ad libitum, quinimo, quæ absque Proregis licentia rem veneream cum aliquo egiſſe deprehenduntur, capitali pæna puniuntur, unde innumeræ ſunt mulieres, quæ à Præfecto impetrata facultate, quicquid de ſe ipſis volunt, liberè agere, atque deliberare poſſunt; in quodam eæ libro ſcribuntur, ſolvuntque quotannis Regi modicum vectigal pro iſtac recognitione. Hæque poſſunt, ad libitum vivere, artemque meretriciam agere, per urbemque quicquid volunt impunè facere. Scriptæ mulieres quandam civitatis partem habitant, quam Babeluc vocant, quo in loco artem meretriciam liberè cum Mauris exercent. Ex ſcriptarum numero ſunt etiam ruſticæ Bedovi vocatæ, quæ circulatorum modo per urbem ſaltus

tus varios faciunt, exultant, tripudiant, ut populum delectent, atque exinde mercedem, ut vivant, lucrantur. Hæ, tametsi pleræque castè vivant, nihilominus in suis tripudiis id propriè agunt, ut corporis omnes inhonestissimos motus, atque actus venereos, in terram procumbentes repræsentent, quibus Turcæ ad movendam libidinem apprimè delectantur, & hæc tripudia palam in via exercent, coram & nuptis mulieribus, & virginibus, ex fenestris hæc omnia videntibus, absque ullo pudicitiæ, & honestatis rubore, & pudore. Ita apud eas gentes venereæ libidinis delectatio invaluit, ut id quod maximum dedecus est, virtus iis esse videatur, adeo ut plures illorum inhonestius, quam bestiæ effrenes vivant. Sed cesso de iis amplius præ pudore loqui.

Caput XVII.

De cibis quibus Ægyptii utuntur, atque de potibus.

Postea quam multa de Ægyptiis hactenus in nostra Historia scripsimus, restat, ut priusquam ulterius in ipsa progrediamur, de cibis, & potibus quibus Ægyptii familiarius utuntur, sermonem faciamus. Sed tamen plura in iis tractandis omittemus, quæ in Libris de Medicina Ægyptiorum consideravimus. Itaque Ægyptiorum cibi, ut plurimum frigidi, & humidi sunt; namque ut ex oleribus, quæ ad victum illis sunt familiaria, cum potissimum ab ipsis præcipuus eorum cibus depromatur, exordiamur, variis, crudis, atque in magna copia ii vescuntur, atque se ingurgitant. Lactucam ex iis maximè expetunt, quam sicuti & olim tota orientis regio, plurimum, & laudabilem sanguinem gignere sibi persuasit, ita & nunc illiusce opinionis omnes indigenæ existunt, putantque omnes, lactucam esse probi alimenti. Mirum certè est, Galenum, tantum Medicum, in Libro tertio de Temperamentis dixisse, lactucam deleteriam habere frigiditatem, perinde atque cicutam, unde si ejus succus penetraret, ut cicuta, refrigerando interimeret. Quod sane visum

ſum nobis ſemper fuit ab omni veritate alienum, neque enim tantam ineſſe lactucæ frigiditatem eo colligimus, quod, & ipſo Galeno non negante, ipſa copioſius eſitata calidam corporis ſubſtantiam augeat, atque exindè calorem quoque innatum. Sunt qui in Ægypto decem, & plures etiam dies vixerint ſolis lactucis copioſius aſſumptis, nullam differentiam in calore ipſorum corporum ab eo tempore quo aliis cibis aliàs uſi fuerunt obſervantes: Quibus quidem conjicitur lactucam eſſe naturæ humanæ amiciſſimam, & corporum ſubſtantiæ quam ſimillimam, cujus & amicitiæ, & ſimilitudinis clarum argumentum eſſe exſtimari debet, quod guſtui hominum lactuca ſit acceptiſſima, atque eſui jucundiſſima: cum ea quæ facultatem habent deleteriam, uti cicuta videtur, maxime humana natura abhorreat, ita ut ſtomachus illa ſemper cum abhorrentia, & quandoque cum tremore, atque nauſea quadam, ſi coactus recipiat, admittat. Quibus deprehenditur lactucam ex tota (ut ajunt) ſubſtantia humanæ naturæ eſſe amicam, proptereaque merito Ægyptii eam eſſe temperati nutrimenti atque probi ſanguinis effectricem ſibi perſuaſerunt, ſed de ea re, Deo favente, etiam in libro quarto accuratius ſcribemus. Sed redeo ad id à quo diverteram. Inter lactucas, quoddam genus eſt Ægyptiis proprium, præſertim iis qui Cairum habitant, quod ſupra omnes bonitate laudant, & præferunt, hasque nullo alio in loco inveniri tradunt; longa eſt, ei ſimillima quam Patavini Romanam appellant: Cairi magna diligentia feritur, cæteris aliis bonitate præſtat. Multæ urbes reperiuntur in quibus fere omnes per quindecim dies lactucam crudam comedunt: deinde per venam ſibi ſanguinem mitti jubent absque Medici conſilio, ea opinione decepti, quod ex eſu illiuscc oleris plurimum ſanguinis genitum ſit, hocque faciunt mulieres precipuè, virgines, viduæ, aliive viri multi qui à negotiis non ſunt impediti, vitamque in otio degunt, quo quidem modo ſe diu inculpatam valetudinem ſervaſſe affirmant. Sed de his lactucis poſterius accuratius quoque, ſcilicet cum de plantis Ægypti ex propoſito agemus. Sic & in victu concedunt endiviam, portulacam, melochiam, bammiam, colocaſſiam, atriplicem, ſpinachiam

chiam, betam, blitum, vitis folia, quibus ubique coctis, & crudis vescuntur, Devalique vocantur, Brassicam item, canabith, lapathum, solanum, apicem, sium, smyrnium, erucam, urticam, gingidium, ocimum, fæniculum, asparagos, bulbos, tubera, fungos, cæpas, allium, porrum, ampelopraſſum, rapum, cichoreum, palmæ verticem, quem cephalonem, sive caput nominant, qui quidem esui gratissimus est, & à nostris avidè comeditur, magnoque pretio venditur, clamque ipsum vendunt Arabes pœnæ metu illis adjunctæ, quod cephalone excisò, arbor sterilis reddatur. Trifolium quoque virens comedunt Arabes, mentham Judæi crudam, maximè die septima: mala insana, staphilinum, pastinacam, cucumerem Chettam vocatum, quo nomine Arabes significant quoddam cucumeris genus, quod quidem est autumnale, de quo nos in libro de plantis Ægypti scripsimus, & aliàs etiam Deo volente, quædam de ipso dicemus. Malva quoque maximè delectantur, eamque quotannis serunt. Fructibus tam horariis, & fugacibus, quam Autumnalibus, quibus Ægyptus abundat, se replent, ut ex iis solis sæpe cænam, vel prandium perficiant, cujusmodi sunt præcocia, cucurbitæ, pepones, melopepones: quorum quidem nomen genericum est Batech, istoque nomine simpliciter prolato comprehenduntur anguriæ communes, quæ alio nomine Gibes dicuntur. Peponem autem nostrum, qui est ejus species, Batech de Homeri vocant, at anguriæ quædam est aquea, optima, ab iis in pretio adeo habita, ut singulæ aliquando aureo emantur. Hujus aquam ægrotis tribuunt, quæ Batech Indi, & Batech etiam Maovi vulgo dicitur. Hanc sæpe memorat Avicenna. Hæc non facilè putrescit, imo ejus aqua vel etiam ad hyemem incorrupta servatur, atque in deliciis habetur: indigenæ enim cum aliquem domi excipiunt, maximè autem Proceres, in eam per medio sectam, vel in ipsa foramine facto, saccharum unà conjiciunt, atque ut pretiosum quid nectaris propinant, vulgo Batech el Maovi, & à scriptoribus Medicis Batech Indi, vel anguria Indica dicitur. Habent & aliud peponis genus nostris ignotum, quod vocant Abdellavi, ipsumque utilitate Batech de Homeri præferunt, ejusque semina ægrotis, maximè morbis calidis vexa-

tis plurimum prodeſſe experientia comprobatum eſt, ita ut Medici praxim facientes cum ſemina melonis præſcribunt, ſemper Abdellavi addant: Quod ſi quis noſtratium Medicorum, cui hic fructus eſt ignotus, noſtri communis peponis ſemina præſcribat, ſtatim imperitus, vel & mulieribus etiam, artis medicæ judicatur. Innumera præcocia producit Ægyptus, atque aliunde deferuntur quoque alia genera, ſcilicet, Amavi, Armenum. Azami duo ſunt genera præſtantiſſima, quæ in aqua macerantur, ipſaque aqua tutò, & jucundè ægrotis conceditur: perſica vero, pira, poma, mala Punica, quæ in Ægypto multa ſunt, atque maximè in Inſula Delta, in qua ad eam molem crescunt, ut ſingula ad ſex libras pendeant. Quibusdam in locis quisque menſis ſuos proprios fructus habet, atque ita ut groſſis ficisque ſuccedant dactyli, dactylos excipiant mora, mora ſycomorus, ſycomorum muſæ, muſas uvæ, uvas ſebeſten, ſebeſten pruna, pruna napeha, napehis ruborum fructus, cui ſuccedit capparis, à quo amygdalæ, à quibus Zazur; quos omnes excipiunt ſacchari arundines, quæ cum palato ſummam ineunt gratiam, atque eædem ſub cineribus calefactæ iis qui tuſſi vexantur, plurimum adjumenti afferunt. Horum fructuum plurimi publicè venduntur in aqua macerati: conſueverunt enim Arabes fructus omnes, quos poſſunt, reponere ſiccos, quos poſtea toto anno aqua præmollitos aſſumunt, eamque aquam bibunt. In quo quidem non parum mihi videntur laudandi, cum hujusmodi fructus hoc modo parati non parum, & ſanis & ægrotis ſint utiles, atque etiam esui jucundiſſimi exiſtant. Publicè etiam venduntur & iidem fructus aceto conditi, & olivæ, & mala medica, ſtaphylina, mentha, fæniculum, apium, raphanus, rapa, betaque, quæ duplicis eſt generis, altera ut noſtratis radice longa, atque altera radicem habens, ut rapa rotundam, inſignemque: ſic & capparis non modo fructus, ideſt flores, ſed vel etiam ejus germina tenera, vel cauliculi, quibus magis delectantur, quam floribus conditis: cucubæ itidem, aurantia, limones, paſſulæ, cydonia, aliave mala, & pira. At inter omnia ſummopere arrident loti, Ægyptii crediti, radices, quas per tres menſes per urbem venditores circum

cumferunt, easque coctas perinde atque colocaſſiam comedunt. Vocant hanc Rais el Nil, de qua poſterius nos accuratius. Cerealibus quoque ſeminibus affluit Ægyptus, & iis ex quibus panis conficitur, præterea milio, panico, olyra, typha, avena, & alica, & aliis, ut puta, fabis, piſis, ciceribus, lentibus, lupinis, phaſeolis, aphace, crobo, atque aliis ſimilibus, quibus quatuor modis utuntur, quippe coctis ferè omnibus, multis crudis, quibusdam igne torrefactis, aliquibus in panes conjectis, nonnullis & ſaccharo tectis, ut bellariis, præcipuè autem ſimul venduntur ciceres, avellanæ, amygdalæ, ſeſami ſemina, & alia torrefacta, quæ vulgus avidè comedit: Tragemata Græci vocant: Galenusque eorum plurima, quæ in libris de Alimentorum Facultatibus ſcripſit, ab Ægyptiis deſumpſiſſe viſus eſt, probe omnia ſcribens inibi quæ faciunt Ægyptii circa esculenta, ut, qui eos tres libros diligenter perlegerit, Ægyptiorum victus rationem non ſecus animadvertat, ac ſi ipſum ſenſibus ipſis conſpiceret. Quanquam autem tragemata nunquam non comedant, attamen minimè iis accidit quod de juvene illo qui medicinæ operam navabat, refert Galenus, * cui hujusmodi tragemata quatuor annis ſat fuerunt, tenuique victu, & frugali delectabatur, quod ignem per totum illud tempus non accendere ſibi propoſuerit. Galeni verba hæc ſunt: „ Atque in Alexandria juvenem quendam no-
„ vi arti medicæ deditum, qui per annos quatuor ſingu-
„ lis diebus ſolis his pro obſonio utebatur, phaſeolos dico,
„ fænugræcum, erviliam, & lupinos, attigit autem interdum
„ & olivas ex Memphide, & olera, & paucos fructus eos,
„ qui citra coctionem manduntur: propoſitum enim ei erat
„ ignem nunquam accendere: omnibus certè illis annis ſanus
„ fuit, nec ulla in re habitu corporis fuit deteriore, quam ab
„ initio: mandebat autem fructus hujusmodi cum garo, ſcili-
„ cet oleum aliquando ſolum ei adjiciens, nonnunquam etiam
„ vinum, alias acetum, interdum vero ſalem tantum, ſicut
„ & lupinos. „ Verum non accidit dico iis illud, quoniam

* In primo de Aliment. Facult. cap. 25.

etsi plurimi minime ignem accendant, tamen fercula cocta cujusque generis illis comedere licet, cum ubique fere locorum in quavis urbis parte veneant, nec multo vendantur, cum nullius rei penuria fere unquam affligat Ægyptum, lignis exceptis, quod tamen non facit, ut majori pretio vendantur, ea namque igne ex bubulo stercore arido, quod per urbem ubique locorum ad eum ignis usum vendunt, accenso decoquunt. Papaver album ubique per domos circumfertur, ejusque semina communiter comedunt, innoxiè, maximè autem æstate, à quo quidem se refrigerari, sibique somnum promoveri dicunt, neque ipsum timent in regionibus calidis, neque cætera opiata, neque ab iis ullum periculum impendet, sicut apud nos, Chaschas, & Abunum Mauri vocant. In panem multa semina conjiciunt, scilicet lini, sesami, atque alia multa, & etiam aromata, ut piper, sed inter omnia melanthii seminibus libenter eo modo utuntur: hæc enim unusquisque in panes addit, multi per se torrefacta comedunt, tineas pellit, alii ex eo oleum conficiunt ad multa utilissimum, quod Hapelbarache, hoc est semen fortunatum, alio nomine Suniz nuncupant. Lens, & oryza duo sunt præcipui Turcarum cibi, quibus absque dispendio multos alant, maxime autem oryza, quam adeo n delitiis ubique, præsertimque Byzantii, habent, ut in eorum conviviis, quæ opiparè parant, passim adhibeatur; modo vero ei petroselinum addunt, modo apium, modo crocum, modo piper, interdum ciceres, ut varia videantur eduliorum genera, cum tamen reipsa sint unum. At modus ejus parandæ, quo in cibis nihil magis delicatum habent, est, ut oryza à jure in quo incocta sit, auferatur, eique piper, & cinnamomum, aliave aromata misceantur. Hujusmodi cibo pingueſcunt, roburque nanciscuntur. Leguminibus omnibus præfertur Mas, quod tanti faciunt, ut eo non tantum utantur sani, sed & febricitantibus, aliisque morbis detentis Medici tribuant, illisque maximo auxilio esse certum est: atque apud eas gentes, panis madefacti loco est in usu ex Avicennæ sententia, qui in passivis qualitatibus ipsum temperatum esse tradidit, maximeque qui est citra corticem, neque ipsum ut fabas esse flatulentum, frigidita-

ditateque à lente relinqui, ſucci præterea laudabilis, facilisque deſcenſus. Semen hoc Arabibus omnibus Mas dicitur. Quod num ſint piſa, mihi haud notum eſt, cum Galenus ſuis piſis ſegnius quam fabas per alvum ſecedere tribuat: Avicenna autem ſuo Mas contrarias penè facultates ineſſe dicat. Atqui Mas Avicennæ fuiſſe notiſſimum credendum videtur, cum in illius regione magnus ipſius ſit proventus, ibique ſit in frequentiſſimo uſu. Ejus radicem, in Giemen Artam vocari prodidit Serapio: per Giemen autem Nicolaus Mutonus Syriam intelligit. At Giemen Arabibus eſt Arabia Felix ſexaginta dies à Syria diſtans: optarem igitur, ut & Medici Itali hujusmodi cibo jucundiſſimo uterentur, quem tota Arabum ſchola ſummis laudibus extulit: nuncque adeo eſt in uſu, ut proximis his menſibus, cum eorum qui à ſecretis Turcarum Imperatoris ſunt primus Byzantii ægrotaret, reliquaque ciborum genera faſtidiret, Masque optaret, nuntium Æliopolim usque, quæ Byzantio triginta dierum itinere diſtat, accipiendi Mas gratia miſerit, qui cum urbem currens ingrederetur, magnusque hominum concurſus eſſet, omnesque ſpe incerta alicujus novi penderent, eorum expectationem decepit, in emporioque equo deſcendit, atque ubi Mas modicum emit, ſtatim diſceſſit, & Byzantium commutatis equis octo dierum ſpatio rediens Mas ſecum ferens quaſi pervolavit. Habent quoddam cibi genus Seratie ab ipſis vocatum, & aliud quod ex amylo dulci, amygdalis, & ſaccharo; aliud ex fructibus quibusdam, & hoc modo ipſum parant, præcipuè æſtate: accipiunt etenim piſa ſicca, præcocia armeniaca, perſica, quæ in aqua decoquunt, ac deinde ſaccharum addunt, atque hos fructus refrigeratos comedunt, qui cibus gratiſſimus eſt, refrigerat, vires recreat, corroborat, ſitim extinguit, bilem reprimit, halitum commendat, dignusque eſt ut à noſtris in uſum revocetur, Cuſſaf ipſum vocant. Cibus etiam quam communiſſimus illis eſt triticum aqua elixum, quod Chamaie nuncupant. Ex pane vero lacte ſubacto, & exſiccato aliud cibi genus parant, Chiſch vocatum, non quidem verum Chiſch, de quo poſtea: quod cum multum nutriat, & facile concoquatur, non modo domi ipſis utiliſſimum eſt, ſed

& iter agentibus. Quin qui pro obſonio habeat domi, & in itinere, absque origano, & ſatureia, nemo reperitur. His enim cum ſale avidè pro obſonio utuntur. Polenta ex hordeo recenti veterum modo adminiſtrata communiſſimus eſt multorum cibus: Alexandriæ etiamnum victu utuntur, quem Galenus Alexandrinorum vocare fuit ſolitus, ſalſis ſcilicet porris, & zytho, ſed nunc zythum non fit in Ægypto, ſed hujus loco ex dactylis vinum parant, quod Subia appellant, multo quidem quam zythum præſtantius. Verum etſi Ægyptii hos potus habeant, nihilominus omnes libentius aqua Nili fluminis optima ad potum utuntur, & quandoque ex ea cum acido limonum, & ſaccharo potum jucundiſſimum parant, quem Sarbet vocant. Divites eadem utuntur aqua, ſed in qua varia ſyruporum, & conſervarum diſſoluta ſint genera, ut violaceum, roſaceum, & alia, de quibus nos ſatis in libris de Medicina Ægyptiorum ſcripſimus. Caſeum ferè ſemper cum oleo comedunt, vel oleum cum melle, aut mel cum ſapa, aut ſapam quam Dips vocant cum ſeſamini olei amurca, quam Thaine appellant, quæ iis eſt ſuavis cibus. Mane ut plurimum à cibo abſtinent, & ut quisque maximè dives eſt, ita maxime mane frugali cibo utitur, paucique ſunt quamvis potentes, qui mane domi comedant, ſed per ſervos aliquid parant ex Emporiis, in quibus omnia reperiuntur, placentæ, Joviorum genera, Rhyemata, & lagana, quæ Sairie, & Riſte vocantur: caro bubula, hædina, caprina, hircina aſſæ, & elixæ, ouilla itidem: nullus hodie aſininam carnem comedit, ſicut Galenus ſcripſit illos ſuo tempore comedere ſolitos fuiſſe. Multi camelinam eſitant: à bubula abſtinent, & hædina, ſiquidem vitulos in ſpem ſegetum alunt: ovilla magnopere delectantur, aut omnium maxime, ut & ſuperius diximus, vervecina, quam omnibus præferunt, ipſamque tritico inter grana comparantes temperatè calidam, atque humidam faciunt: quo fit (inquiunt) ut ipſa nunquam ſaturentur, nunquam ipſam faſtidiant. Ex morbis convaleſcentes, quamvis aviculis, pullis, & aliis delicatioribus carnibus nutriantur, nunquam tamen carnem comedere fatentur, niſi ovilla caro vervecina illis concedatur. Unum hac occaſione de eſu carnium apud Ægyptios iterum repetimus,

illud-

illudque eſt, quod Ægyptii ſunt parciſſimi, paucosque eorum eſſe qui eſui carnium indulgeant, de qua parſimonia ſuperius accuratius locuti fuimus. Omitto varia lactis genera ex quibus varia edulia parant, atque lac ipſum acidum, quod illorum guſtui eſt acceptiſſimum. Quid de piſcibus? An non & ipſi variis & ex Nilo flumine, & ex mari captis veſcuntur, ſed omnium libentiſſimè iisdem fumo ſiccatis utuntur. Serpentes etiam quosdam comedunt, quod eos antiquitus quoque feciſſe in hiſtoriis traditum eſt. Teſtacea animalia, ſetacea, cruſtata, echinos, ranas, turtures, & ea quæ ſuffocantur, illos edere lex vetat. In primis autem à carne ſuilla abſtinent, quam eorum pſeudopropheta interdixit, verumtamen ſues alunt, quos equis uſui ita eſſe putant, ut non ſit eques, qui cum ſuis equis unum vel duos ſues non alat: Hi pane ferè omnes veſcuntur, tam apud pauperes, quam divites triticeo: etſi ibi cujuscumque generis conficiatur, quippe Siligineus, Secundarius, Typhaceus, Antopyrus; Dulciarius, Focarius, Setanius, aliusque quem Chac appellant, optimum ſanè panis genus, quod coquunt in fornace ad ejus parietes rubentes, eſſe affirmant.

Caput XVIII.

De Ægyptiorum temperamento atque habitu.

Quanquam in libris de Medicina Ægyptiorum de indigenum Ægypti temperamento, deque habitu illorum corporum atque de morbis quibus ea regio ferè continuo conflictari ſolet, abundè ſcripſerimus, nihilominus de iisdem & in hac noſtra hiſtoria, ne in ipſa hac etiam deſiderentur, agere inſtituimus. Verumtamen hæc brevi tractabimus, quædam addendo, quæ faciunt magis ad hiſtoriam, quam ad medicinam, de qua quidem in libris de Medicina Ægyptiorum agere noſtrum præcipuum fuit inſtitutum. Ægypti vero indigenarum triplex genus eſſe diximus, urbanum unum, Arabum alterum, atque tertium ruſticorum. Urbanorum corpora vel ſanguinea ſunt, vel pituitoſa, quæ ita, etſi ex cælo calida, & ſicca eſſe debe-

deberent, evaſere adſcititium temperamentum frigidum, & humidum, ex vento frigido, ex augmento Nili fluminis, atque ex continuo aquæ refrigerantis, humectantisque potu, & ciborum frigidorum uſu, illud nacta. In Arabibus melius & temperamentum, & habitus reſpondet calido, ſiccoque cælo ſub quo vivunt, cum ipſorum corpora gracilia ſint, macra, atque calida, & ſicca, omniumque maximè ruſticorum corpora ſolis caliditate eximia maximè, & ſiccata, & ferè uſta. Verum enim vero nos addimus, Ægyptum dividi in duas partes, ſcilicet in inferiorem, quæ mari proxima eſt, atque in ſuperiorem à mare maximè remotam: In hac parte habitantes deſcripſit Galenus deque iis * animadvertiſſe viſus eſt cum dixerit, „ Intelligere nos enim oportet, omnes, de quibus ſcrip„ ſit Hippocrates conſtitutiones in locis terræ habitabilis tem„ peratos fuiſſe: exceptis ab hoc ſermone Thraciæ locis, quæ „ à mari diſtant. Hæc enim in frigiditate, & humiditate mo„ dum exceſſerunt, ſicuti & quæ ad Ægyptum, & Lybiam „ attinent, loca calida ſunt, atque ſicca, exceptis & hìc illis „ quæ mari adjacent locis, quoniam æſtate à ventis ab Arcto „ flantibus refrigerantur, idcirco minus ſunt calida iis, quæ ad „ mediterranea receſſerunt. „ Itaque corpora Ægyptum ſuperiorem habitantium, calida ſunt, & ſicca, macra, ſqualida, duræ, nigræque carnis, quæ vero Ægyptum inferiorem ad Mediterranea verſus poſitam incolunt, ſunt temperatiora, etſi cælum & ipſi ſummè calidum, & ſiccum habitent, tamen, uti diximus, ex ventis eteſiis æſtate frigidum ſpirantibus, ex augmento Nili fluminis, ex potu aquæ aſſiduo, atque ex eſu frigidorum ciborum adſcititium hæc corpora nacta temperamentum ad temperatum inclinant, & proinde pleraque multo ſanguine abundant: Nonnulla vero, & ad frigidum, & ad pituitoſum: Hincque eſſe, in libris de medicina Ægyptiorum diximus, quod vel etiam in hac parte Ægypti complura corpora valdè pinguia, & carnoſa cernuntur. Nos vero ſpeciatim de temperamento corporum illorum egimus, qui habitant Memphim,

* In Tertio Aphor. Hippoc. Com. aph. 14.

phim, & cætera loca inferioris Ægypti ad mediteraneum haud ita longe posita. Unde ipsorum temperamenta tripliciter distinximus, quippe in urbanorum temperamenta, quorum esse temperata, atque ad pituitosum etiam in multis inclinare, esseque propterea boni habitus complura, quædam vero nimis carnosa, & pinguia ex causis nuperrimè dictis fieri. De Arabum ea loca habitantium temperamento, & habitu, diximus illos ad bilioſum temperamentum inclinare, proindeque ipsorum corpora esse macra, & urbanis sicciora, & calidiora. Rusticorum vero maxime omnium sicca, dura, nigra, squalida, ac veluti usta observari. Regio igitur Ægypti calida est, & sicca, frigida tamen, atque humida frigiditate, humiditateque adscititia ex causis sæpius dictis, ut plurimumque ipsius constitutio est stabilis, eo tempore excepto in quo venti austrini summè calidi respirant, qui fere diebus quinquaginta continuè perflare solent, quo tempore aëris constitutio redditur maxime inæqualis, ac proindè non immerito plurimum morbosa, ut in Libris de Medicina Ægyptiorum exacte ostendimus.

Caput XIX.

De morbis quibus Ægypti regio affligitur.

Cum morborum alii sint communes, alii diversi, quos Sporades Græci appellant, & communium alii regionem unam aut plures eodem tempore vexent, qui vulgares, & populares dicuntur, aliique aliquam regionem, vel provinciam, vel urbem perpetuo affligant, patrii, vernaculique nuncupati, vulgariumque quidam itidem pernicioſi exiſtant, & lethales, hosque epidemicos, seu vulgares pestilentes medici vocant, utpote quando lethales morbi epidemice, seu vulgariter grassantur, ita ut complures eodem tempore & invadant cujuscumque conditionis homines, ætatis, & sexus, & interimant: pestilentes enim ii dicuntur à quibus spes vitæ in ægrotis tollitur:

maligni vero ſunt à quibus, ut Galenus * docuit, ægroti, etſi omnia opportunè agantur, ægerrimè ſanantur, vel qui periculum mortis minantur, ſpem tamen ſalutis non adimentes. Omnia vero hæc morborum genera in Ægypto obſervantur. Epidemici ſcilicet primo vulgares dicti, quorum variæ conſtitutiones ſæpius fiunt: modo enim innumerabiles angina detentos invenias, modo dyſenteria, quandoque tuſſi, ſynocho, interdum febre tertiana, quandoque ardente, & aliquando ephemera. Sæpe etiam Ægyptum peſtis invadit, quæ paucis omnino horis, ne dicam diebus plerosque homines cujusque ſexus, ætatis atque temperamenti interficiat, adeo ut anno MDLXXXI. Memphi, Cairive à Novembri ad Julium menſem uſque circiter quingenta hominum millia dira hac ſtrage obiiſſe conſtet, inter quos fuere octoginta millia virgines, omiſſis ſervis, pueris, Chriſtianis, Hæbreis, omnibusque illis, qui patresfamilias non ſunt, qui à Mauris minimè dinumerantur, ſed tantum qui alicujus auctoritatis ſunt, & virgines. Numerum vero exquiſitum cadaverum ſcire poſſunt Ægyptii, tum ex cuſtodibus qui portis præſunt, tum etiam ex eo quod patrum familiarum mortuorum bona in Regem Turcarum recidant. Qui plura de peſte loca Ægyptia invadente ſcire deſiderant, legant noſtros libros de Medicina Ægyptiorum, in quibus de ipſa longe plura, & curioſius quidem diſputavimus. Morbi autem Ægypti patrii, ſunt herniæ, & ramices cujuſque generis: ſemper enim umbilici deligationis multiplex ſolutio vagatur, quem affectum omphacocelen Græci dicunt, & in inguinibus ramex, bubonocele dictus, maximeque in mulieribus, cum laxatur foramen illud per quod ligamentum uteri ad internam inguinis partem deſcendit, aut diſrumpitur peritoneum propter fœtus magnitudinem, aut multitudinem. Nec non ramex inteſtinalis dictus, ſcilicet cum inteſtinum in ſcrotum devolvitur, anterocelen vocant; perpetuo vero vagatur omenti ramex epiplocele nuncupatus, atque hernia aquoſa, quam hydrocele itidem vocant, & flatulenta, & carnoſa ſarcocele dicta, varicoſaque. Quandoque vero hic affec-

* In primo Prorret. com. 14.

fectus est complicatus ex multis, ita ut in aliquibus descendat cum aqua flatus, aut simul cum omento intestinum, modoque aqua continetur inter membranam erythroidem & arthroidem, modo extra membranam. Herniæ vero carnosæ adeo in Ægypto sunt frequentes, ut magna illorum pars ipsis detineatur, ad eamque magnitudinem, & incrementum deveniunt, ut vitulum magnitudine æquent: quidam reperiuntur, qui ob id se erigere nequeant, qui si erigantur, & stent, ramices tamen ea sunt longitudine, ut ii non erigantur, neque à terra attollantur, perpetuo augentur, nullisque medicamentis cedunt. Hujusmodi tres magnitudine insignes mihi videndæ occurrerunt; qui his laborabant tres fuerunt, unus Turca, alter Judæus, atque tertius Ægyptius natione, qui quidem eas in saccis, & culcitris abscondebant, ut primum pueros juxta illos dormientes esse existimaverim, easque esse hernias non facile crediderim, herniæ tamen erant, & qui iis laborabant optima valetudine fruebantur, reliquoque corpore bene se habebant, ut nihil in ipsis cacochimi appareret, cum excrementa omnia superfluentia eo delaberentur. Duos illorum herniis correptos ob hæmorroidum suppressionem referebant, unum vero ob errores in victu commissos. Mille aureos eorum unusquisque se daturum illi affirmabat, qui ipsos à ramice, tantoque pondere liberasset, quo semper cubare, nunquamque se erigere, aut incedere cogerentur. Nunquam tamen Medicus qui eas sanaret, & non modo has, sed ne minores quidem præsto fuit. Ex quo minime mirum est, Campsonem Gaurum Zuelem, ultimum Ægypti Regem, non longe ab Heliopoli cum Turcarum Imperatore commisso prælio ob ramicem carnosam ex equo cecidisse, sicque uno, eodemque tempore vitam, & tam pulcherrimum Imperium amisisse. Ægypti rursus morbi patrii itidem sunt, qui oculos infestant, ut ipsorum oculorum dolor, pterygium, quod Arabes Ditrè vocant, non autem Zeber, ut Rondeletius asserit: phlyctena, oculorum ulcera, cicatrices, albugines, suffusio, midriasis, visus obscuritas, nyctalope, oculi procidentia, lachrymæ ægilops. Nec non ventriculi imbecillitas, intemperies frigida, ejusdem inflatio, dolor, nausea, vomitus, sitis immensa, ap-

petentia canina, cibi faſtidium, pica, ſingultus, cholera, morbus, morbique à flava bile ortum ducentes; quippe cauſus, phrenitis, dolores inteſtinorum, eryſipelata, ſacer ignis, herpetes, cutis defædationes, atque ulcera, duplexque ſynocha. Ægri ut plurimum ſunt inſomnes, ſitibundi, eaque ſiti infeſtantur, ut niſi continuo aqua iis offeratur, in animi deliquium incidant. Quin & ex ſanis multi, maxime vero mulieres ex iis quæ ſunt calidiori temperamento in eam affectionem incurrunt, ni aquam, & eam frigidam ad manus habeant, qua quidem, ut plurimum absque alio præſidio recreantur. Quod ſcientes Ægyptii, ſemper eorum ægris ut aſſiſtant curant, qui aquam paratam habeant, expertumque eſt apud eos, quosdam obiiſſe bilis vi os ventriculi, & præcordia petente, quibus aqua non fuerat in promptu. Alios vero tardius à lipothymia liberatos, & alios in febrem hecticam incidiſſe. Hæc omnia eveniſſe in hac civitate multos annos medicinam faciendo potuimus obſervare; juvenemque aliquando vidimus illuſtri familia natum calidiori prædítum temperamento, febre biliosa continua laborantem, ab Ægyptiis medicis inique tractatum variis profecto medicamentis, cum internis, tum externis refrigeratoriis, quippe decoctis, aquis cordialibus, ac variis epithematibus, quæ cum ad magnum illiusce caloris incendium nihil profuiſſe viderim, cum Arabe alio medico ego juſſi ut ter quaterque hora ſingula Nili aqua probè clarefacta copioſius etiam exhiberetur, quo potu ille, & ab eo calore febrili, & à ſævis aliis accidentibus fuit liberatus: unde fit, ut qui ægris temperamento bilioſis ejusmodi morbo laborantibus aquæ potum interdicit, eos proculdubio interficiat: ſitim enim in calida regione, & ſicca, uti eſt Ægyptus, nedum ſani, ſed quin etiam multo plus ægroti absque magna noxa ferre non poſſunt, ſicuti in noſtris regionibus ferunt. In ægris apparent horribilia ſymptomata, veluti ſunt ferina deliramenta, dementiæ, ſopores vigiles, inquietudines, anxietates, æſtus caloris intolerabiles. Morbi etiam, præter hactenus enarratos, patrii ſunt, elephas, qui & Galeni tempore vigebat, dico Græcorum, ſed non minus quoque elephantiaſis Arabum apud eam gentem graſſatur.

Iſti

Iſti habent pedes usque adeo magnos, duros, inæquali craſſitie, ut cogantur non pauci, iisdem capſulis ligneis impoſitis, magna cum difficultate ambulare, ſimilesque pedes magnitudine, craſſitie, & quadantenus figura pedibus magnorum Elephantum, unde hoc malum nomen invenit, apparent. Leproſi itidem ibi magno numero perpetuo in ea regione obſervantur. Adde albam vitiliginem, & nigram, quæ cutim ſeu nummi figura, & magnitudine occupat. Vitiliginem Arabes vocant Bach, eam inquam quam Græci Alphos dixerunt, unde ſicuti apud Græcos eſt Alphos albus, & niger. ſic Arabes vocant Bach Abiad, & Bach Aſued. Neque Morphea nomen Arabicum eſt, ſicuti viri non pauci exiſtimaverunt, ſed ut dixi Bach, quem quidem diſtinguunt à Baras albo, quod Bach ſit in cute, & Baras in carne. Leuce eodem modo ibi in multis graſſatur, Alopeſia, Ptiloſis, Mirmeciaque. Unum non omittendum duxi, plerosque laborare ſtomachi crùditate, & dolore, mulieresque dorſi dolore, quod cum ſciant Medici Ægyptii, licet ignari ſint medicinæ dogmatum, tamen cum vel domi, vel in via, ut mos eſt, petantur à multis an rectè valeant, tangunt pulſum in carpis manuum, & poſtea dicunt eos habere ſtomachum male affectum, & mulieres quæ præſertim carnoſiores, & pinguiores ſunt, dorſum atque uterum ægrum habere. Quod ideo illis vaticinium videtur, proptereaque illis medicis quicquid de medicamentis ad eos dolores dicunt, magna fide credunt. Totque affectus patrii ſparſi per urbem obſervantur; peſtilentes vero epidemici ſunt febres peſtilentes, variolæ peſtilentes, Dem el muia, id eſt phrenitis exitialiſſima duabus, vel tribus horis interimens, quæ quotannis ferè graſſatur epidemicè, licet quodam tempore plus, & aliquando minus. Est denique peſtis quæ ſæpe eam regionem, maximèque Cairum depopulatur. Qui horum affectuum cauſas cognoſcere cupiunt, atque alia etiam de iis curioſiora, dignentur legere noſtros Libros de Medicina Ægyptiorum olim in lucem editos.

Caput XX.

De Arabibus Ægyptum habitantibus.

Priusquam de Ægyptiorum scientiis scribamus, atque de religione eorundem (de qua quædam non injucunda dicturi sumus) priori loco de Arabibus quoque sermo haud injuria habendus est, cum hæc gens unà in Ægypto sub tentoriis habitet loca, & plana, & montosa, sibique Ægyptiam arroget nobilitatem, ingenio, & armis longè Ægyptiis præstet : sunt homines agrestes, feri, loca, ut dictum est, campestria, & deserta, montesque habitantes, sub tentoriisque degentes, qui propriè Arabes sunt, à quibus Mahemetes ortus est, cum tamen Arabum nomen ita latius sit, ut de omnibus Mauris quandoquè intelligatur: iis præsunt Principes, quos campestrium locorum Reges appellant, qui quandoque in urbes fide publica veniunt. Dixi fide publica, quoniam Arabes, & Turcæ mutuo capitali odio se prosequuntur. Victum armis quæritant Arabes, mortem potius oppetunt, quam inhonestè vivant, dedecus summum æstimantes Turcis sese addicere, in quorum potestatem si qui veniunt, in ipso vitæ extremo ne vocem quidem emittunt, nedum à morte liberari petunt. Domi eos mori turpe esse existimant. Illum prædicant, qui armis, aut alia vi multos occidit. Eorum lege sancitum est, ut si quis eorum dum cum hostibus congrediuntur, terga dederit, à suis interficiatur. Iidem mulieres, quæ non minus pulchræ, quam honestissimæ sunt, prælium inituri, secum camelis ducunt, ut coram ipsis, qui audaces sunt, audaciores fiant : timidi vero, animum ex earum præsentia recipiant : multique à mulieribus discedentes, inquiunt: Hodiè aut Turcam ad vos captum adducam aut emoriar. Mulieres camelis conscendentes in itinere lapidè molari farinam molunt, atque ex ea quotidie panem recentem focarium, quem Fitir appellant, conficiunt. Arabes vero se ipsos solos nobiles esse existimant, nullumque magni faciunt, nisi illum, quem ab antiquissimis, & nobilissimis oriundum esse cer-

certo ſciunt. Nulla arte, aut exercitii genere delectantur, præterquam armis. Ad Turcarum villas ſe conferunt, ut quicquid illis opus eſt, ab eorum agricolis extorqueant, qui eos adeo formidant, ut, quamprimum illos adventare ſentiant, hordeum pro equis, quibus & meliores, & majoris pretii nemo habet, atque cætera omnia ipſis neceſſaria parent, & quemadmodum ipſi ſibimet nobiles videntur, ſic nullum equum conſcendunt, aut emunt, niſi quem à nobilibus originem duxiſſe intelligunt. Equas maribus præferunt, tum ob futuram ſobolem, tum etiam quia eas ad labores magis aptas eſſe putant. Arabes ut plurimum ſunt corpore pulcherrimi, macri, graciles, agiles, leves, qui indiſcriminatim connubio non junguntur, ſed pulcherrimas uxores ſeligunt: Quod ſi quæ puella agreſtium illis placet, eam à patre petunt, quam niſi det, vi abripiunt. Equitandi peritia omnes & Turcas, & alios antecellunt. Haſtam teretem, longam equitando gerunt, cum qua mira arte cum hoſtibus præliantur, cum unus plures invadere, & ab iis ſe recipere conſueſcat. Impetum vero Turcarum aliquando ob igniſera tormenta ſuſtinere nequeuntes, ad montes, & deſerta loca confugiunt, ubi aqua minimè reperitur: unde Turcis ad aquam redire neceſſe eſt, alioquin ipſi, & eorum equi ſiti perirent: quod incommodi equi Arabum non patiuntur, tum quia laboribus, & triduo aquam non bibere ſunt aſſueti, & quod etiam ſi à triduo aqua deficiat, camelarum lac bibunt, ipſumque equis potui tribuunt. Camelæ vero quinque dies ab aqua abſtinent, quod in locis deſertis apprimè eſt neceſſarium. Nullum profecto animal illius magnitudinis invenitur, quod minus quam camelus comedat, & bibat, parum enim, & ſemel in die comedit, quatuor, aut quinque fabarum libræ ejus cibus ſunt, aut paleæ, aut herbæ virentes. Sexcentas, & octingentas libras ferunt, dumque onerantur, proni in terram oneri ſe ſubmittunt. Sed ad Arabes redeo, qui elegantiſſimi ſunt, ſummaque in illis ingenii ſuavitas deprehenditur, & quam in ſimili hominum genere vix credi queas: eorum vero humanitas quanta ſit, dici ſatis non poteſt. Hi venatione nimiopere delectantur, unde & canes optimos habent, accipitres, atque

atque animalia rapacia quibus capiunt multos lepores, gazelas, cervos, onagros, juvencos ſylveſtres, agros, glires, muſtelas, volucres cujusque generis, & alia animalia, maxime autem animal quoddam pumile, cuniculo non diſſimile, quod Agnum filiorum Israël nuncupant. Quamvis autem ipſi ſylveſtribus animalibus abundant, ex quibus multa cicura educant, tamen eorum carnibus camelarum lac anteponunt, tum quod hoc animal quaſi venerentur, cum falſo credant Mecchæ camelam eorum prophetam Mahemetum allocutam, & quod male à ſuo Domino tractaretur cum ipſo conqueſtam fuisſe, idque eveniſſe inquiunt, ut ex Brutorum animalium quoque teſtimonio ipſum prophetam eſſe conſtaret, tum vel etiam quod præter alia emolumenta, quæ ex camelis capiunt, veſtes quoque, & tentoria ſub quibus degunt, ex iisdem habeant: ex eorum pilis multa fiunt, maximè vero pannus à quo ne vel etiam Principes abhorrent, nec minus quam ſericeum æſtimatur. Quod autem Arabes, & ingenio valeant, ex eo deprehendi poteſt, quod de ipſis dici poſſit, quod profecto veteres non pauci de Romanis poſteritati tradiderunt, quippe alias Nationes ſervitutem pati poſſe, populi vero Romani propriam fuiſſe libertatem, ſiquidem Arabes, magis quam Romani libertatem retinuerunt, quam quidem omnibus divitiis, omnibusque commodis ipſi prætulerunt. Hos per tot ſecula nullus unquam ſubegit, ne Romanus quidem populus, neque vel etiam Turcarum Imperatores, qui ipſos ipſorum imperio ſubigere tentantes, ſæpe Arabum vires fruſtra, & magna ſuorum clade experti ſunt, atque non ſine dedecore cum iis bello infeliciter geſto domum redierunt, neque eorum quenquam cepere, niſi dolo, & fraude. At contra Arabum extant multa facinora, & præclara, ut ſi idoneum ſcriptorem nacti fuiſſent nullis fortè rebus præclare geſtis judicarentur ſecundi. Inter multa, illud quod nuper accidit, dignum maximè memoria videtur. Agris Syriæ, Phœniciæ usque ad Babylonem in Aſia, per multa profecto ſecula Arabum Princeps viribus, & conſilio inſignis, antiquiſſimus, nobiliſſimus dominatur, qui centum millia Arabum ſub ſe habet, inter quos multi ſunt equites ſtrenuiſſimi;

mi: decem vero millia pro ejus cuſtodia ſelectiſſimi. Hic equas habet, quarum quælibet duobus millibus aureorum æſtimatur; illasque quas bello idoneas fore judicat, camelarum lacte tantùm, quarum quæque quotidie ad libras quindecim præbet, per unum, & alterum menſem nutrit, nihil aliud pro cibo, & potu iis exhibens, non hordeum, non herbam, non aquam: quo victu eæ adeo agiles, & promptæ ad omnia fiunt, ut non modo currant, ſed perinde ac volucres volent. Ab eo omnia loca circa Euphratem, &. Tigrim flumina occupantur. Hyeme verſus Babylonem, utpotè loca calida caſtramentatur. Vere autem, & æſtate inter Damaſcum, & Heliopolim. Omnes per ea loca transeuntes vectigalia perſolvunt, omniaque aromata, atque aliæ merces, quæ ex India in Syriam, Perſiam, Mediam, & Armeniam convehuntur, ei tributum dant, non minus quam faciant villæ omnes, atque vici: quod ni faciant, eorum filios Princeps ſurripit, eoſdemque obſides tenet, quoad, quod vult, ii perſolvant. Ut hunc per inſidias Turcarum Imperator, quando vi non poſſet, caperet, Heliopolim venit in Syriam, atque ei fide data, muneribuſque ad eum miſſis ſimulata amicitia, ita per Legatos cum eo egit, ut ad ipſum una cum filio robuſtiſſimo, in armis exercitatiſſimo, atque matre veniret. Cumque ii tres ad urbem acceſſiſſent, filius, & ejus mater ingredi recuſarunt (ſic aliquo numine inſpirante) dicentes neutiquam convenire Turcæ, natura infidi, fidei ſeſe omnes committere. Pater igitur ſolus urbem ingreſſus honorificè fuit exceptus, chlamyde aurea ab Imperatore donatus, aliquibuſque præfecturis datis, deinde diſcedens, ab aliquot in inſidiis poſitis occiſus eſt. Quo facto, cum ſe nihil feciſſe Imperator ſciret, niſi & juvenis filius, atque mater occiderentur, tria hominum millia extra urbem per varias portas miſit, ut utrumque occiderent. Quos conſpicatus juvenis, id ſuſpicans quod patri acciderat, matrem equo impoſuit, atque & ipſe equam conſcendens adeo ſtrenuè ſe geſſit, modo matrem ut feſtinans fugam arriperet compellendo, modo hoſtes repellendo, modo huc, modo illuc in matris, & nonnullorum ſuorum qui ſex numero non excedebant

ſubſidium occurrendo, ut illæſus triginta Turcas occiderit, matremque ſervaverit. Duæ equæ ſub eo ea die præ labore corruere, in quarum locum & tertia ei ad manus fuit ex ipſius ſervis: conſueſcunt enim in his regionibus omnes, non modo ad bellum ſed & alio proficiſcentes, plures equos ſecum ducere, quos aut pueri conſcendunt, aut alii manu ducunt. Tandemque Turcæ quoniam ipſum ad multum itineris fuerant ſecuti, eo deducti ſunt, ut metu multi in aquam ſe conjecerint: quod præclarum facinus hunc juvenem apud Turcas formidabilem reddidit: Turca autem ne continuè ejus loca ab Arabibus devaſtarentur, ipſi juveni ultro ſtipendia detulit, multorumque locorum præfecturam ei conceſſit. Hodie vero hujus gentis conſuetudo eſt, ut ad jusjurandum omnes eorum filios adigant, ne unquam locum muris cinctum ingrediantur, neque Turcarum fidei, aut juramento credant, cum revera omnium gentium, quarum memoria ad nos pervenit, ſint maxime perjuri, omniaque dicta inſidiis & perjuriis conturbent, & quemadmodum nullum vinculum ad ſtringendam fidem jure jurando majores arctius eſſe voluerunt, ſic hi nihil juramento majus ad decipiendum invenere, idque non modo publicè, ſed privatim. Hujus contrarium ſervant Arabes, ut nullus unquam fuerit inventus qui fidem violavit, quod noſtratum multi, qui ad Arabes ære alieno, aut alia de cauſa fugiunt, experti fuerunt. Adde hic aliud Arabum fortitudinis exemplum, quo illorum & fortitudo, & contra hoſtes pugnandi peritia, & ſtrenuitas melius intelligitur. Anno MDXXXI. quo tempore ego Cairum veneram, Arabum princeps alter (caput Arabum vulgus vocat) qui ei Ægypti provinciæ quam Sait vocant, cum aliis multis, dominabatur; huic Turca in ea provincia aliquot præfecturas locabat centum mille aureis in annum. Cui tamen aut parum, aut nihil ſolvebat, neque Rex Turcarum tota ſua potentia ipſum ſubigere potuit, neque à præfecturis, & dominio illorum locorum depellere: ſi enim maximis viribus ipſum quandoque oppugnare tentaret, ille ad deſerta, & montana fugiebat, ubi vero aliquando cum Turcis congrediebatur, magnam inter ipſos cædem faciebat. Hinc Turcarum Rex ipſum magno

odio

odio habuit, attamen cum impoſſibile ei videretur ut in poteſtatem habere poſſet, ad Turcarum proprium divertit, ſcilicet ad inſidias, quibus per aliquot annos miniſtris Proregibus Ægypti uti cæperat. Quisque Prorex ſtatim cum in Ægyptum veniſſet, omni arte, atque ſtudio conabatur, blanditiis, & muneribus illi perſuadere, ipſum Turcarum Imperatori eſſe cariſſimum, eundem plurimum ſuis virtutibus tribuere, & venerari, & cupere eſſe illi amiciſſimum: quod cum per multos annos diſſimulato odio à multis ſuis Proregibus magna dexteritate fuerit actum, tandem Eunuchus Aſſan Baſſa Pro-Rex Ægypti, quod Proreges egerant, ipſe abſolvit, perſuaſit enim tandem Arabum Principi Turcarum Imperatorem ipſum plurimi facere, & amare, ejuſque amicitiam maximé expetere, atque ita Pro-Rex cum ejus Legato, qui ipſum nomine Arabum Principis viſitatum venerat muneribus, & ſimulata amicitia ita amicè egerat, ut ſuus Legatus Chiagia vocatus non amplius ſuſpicatus dolum, ſuo Domino perſuaſerit, ut Proregem Ægypti ſecurus Cairum viſitatum veniret: qui credens ſuo Legato, venit, & cum Bulach ſuburbium Cairi pervenisſet, in Nilo flumine offendit multos Chiauſos in ornatiſſima navicula ſedentes, qui ſimul comedere fingebant, invitatusque ut ſecum accumberet (ſummum enim eſt dedecus in Ægypto à prandentibus, vel cænantibus quendam invitatum ſaltem non ſimul ad menſam ſedere) equo illico deſcendit, ſoluſque multis ex ſuis in litore relictis cymbam ingreſſus, ac cum ipſis ſimul ſedens, ab iis, & ab aliis qui in inſidiis ſtabant (erant enim qui in inſidiis locati fuerant ad duo millia ſparſim in variis locis latentes) ſubito comprehenditur, qui cum ad ſuos qui erant ad triginta in litore fluminis exclamaſſet, ſtatim illi equis ſuis Nilum ingreſſi ita ſtrenuè in ſui Domini auxilium ſe pugnando geſſerunt, modo cum illis qui in cymba ſuum principem ligatum tenebant, modo alios Turcas illuc contra ipſos venientes repellendo, ut è manu illorum Arabem vi magna, multis in cymba occiſis eriperent, qui cum illis equam ſuam conſcendens ita viriliter haſtis adverſus Turcas ſtrenuiſſimè pugnavit, ut quinquaginta occiſis, illæſus cum ſuis in deſertum proximum

fuga se receperit. Hic postea justa ira contra Turcas inflammatus, quoscumque Turcas habere exinde potuit, omnes trucidabat: vixque Prorex dissimulans hæc non ejus jussu Turcas fecisse, concessis illi antiquis præfecturis, atque novis etiam tributis sibi denuo ipsum reconciliare potuit: qui tamen, & alii Arabum Principes posthac nunquam infidæ Turcarum fidei se committere amplius voluerunt. Prorex Aegypti loca campestria omnia Arabibus quibusdam quodam pretio locat: Turcæ enim non audent Arabum timore præfecturas illarum villarum, & vicorum à Prorege locatione accipere: quos Turca cogitur Arabibus locare, quorum pauci sunt qui illi debitas pecunias persolvant, neque tamen ii ad solvendum, nisi sponte velint, à Turca cogi possunt, neque minus Prorex ab ipsis eas præfecturas auferre potest: sunt tamen aliqui qui sponte, etsi non totam debitam pecuniam, saltem partem persolvant. Turcarum vero Imperator non potest vel totis suis viribus eos subigere, quoniam ipsi si suas vires simul conjungant, plusquam centum millia equitum armatorum habebunt qui in armorum studio sunt exercitatissimi. Qui, si Turcæ potentia Arabibus major visa sit, ad solitudines, & montes fugiunt, ad quæ loca Turcæ eos persequi nequeunt, quod, uti etiam dictum est, ea loca aquam non habeant. Et hæc obiter de Arabibus à nobis dicta sint.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

De ſcientiis quibus Ægyptii delectantur.

Ægyptii diſciplinarum ſtudiis, ut nos etiam in libris de Medicina Ægyptiorum tradidimus, maximè delectantur. Primum enim Linguæ Arabicæ, Perſicæ, atque Turcicæ operam dant. Nec non variarum diſciplinarum ſtudiis, quippè Logicæ, quam Mantich vocant, Philoſophiæ, Metaphyſicæ, Rhetoricæ, Theologiæ, Mathemathicæ, Magicisque etiam ſcientiis generis cujusque. Arabicæ verò eloquentiæ plurimum ſtudii adhibent, pro quo ſtudio complures libros conſcriptos habent (ibi libri omnes ſunt manuſcripti, nondum enim Ægyptii libros imprimere noverunt, aut voluerunt, quod illorum innumeri vivant libros tranſcribendo, proinde Imperatoris juſſu libri in Ægypto typis non mandantur) qui tamen magno labore inibi inveniuntur, præſertimque de eloquentia compoſiti. Duos (ut nos obſervare potuimus) ad tyrones vulgatos habet, quorum alter Agiromia dicitur, qui regulas eloquentiæ continet, & alter verborum declinationes proſequitur, hunc Jesrif appellant. Duo vero alii habentur pro eruditioribus, quorum unum Caphie, atque alterum Mogni appellant. Dictionaria quoque complura vidimus, quorum unum maximum eſt, abſolutiſſimumque Chamus vocatum, quod ſexaginta aureis venditur. Alterum Sahael Giauhari nuncupatur, aliud Mocreb, aliud Giemat el-Logha, hoc eſt verborum collectio, vocatur. Jacobus Manus Salodienſis, qui ante me ſeptennio magna cum laude Medicinam apud Nationem Venetam fecerat, vir in lingua Arabica etiam doctiſſimus, quem ego Cairi offendi, retulit aliquando mihi ſe habuiſſe Arabicum Dictionarium omnium nominum quæ uſui medicinæ facerent, ipſumque Latinitate donaviſſe, additis

ab ipso nonnullis obſervationibus, ut ſtudioſorum animos ad majora excitaret, tum ut nomina Arabica quæ in Serapionis, & Avicennæ indice ex Bellonenſe depravata leguntur, emendarentur, quando illorum ne verbum quidem à noſtris prolatum Arabes intelligant. His addo, ut de Arabum litteris aliquid in ſtudioſorum gratiam proferam, ipſos habere litteras principales tantùm numero ſeptendecim, ex quibus deinde additis modo ſuperius, modo inferius punctis, tot alias conſtituunt, ut omnes ſint viginti novem, quas ex ſeptendecim locis educi volùnt, at illis ommiſſis in quibus nobiscum conveniunt, in ſex remanet difficultas, quas gutturales vocant, quæ niſi à gutture proferantur, & ex earum parte propria, minimè intelligas quod dicitur, ſenſumque, & ſignificationes evariant. G. igitur habent, & gutturale, & non gutturale, quod ut noſtrum ſcribitur. Gutturale vero hoc modo ſcribitur Gha. H. triplex habent, omnes gutturales, quæ in hoc differunt, quod unum à pectore educitur, quodque ſic ſcribunt He: alterum paulo à gutturis medio inferius, quod hoc modo ſcribam HA: Tertium vero à gutturis medio, quod ſic invenies HH. Addo etiam hoc modo ſcribi CH. quæ littera & ipſa è gutturis medio educitur. Sexta itidem eſt pectoralis, quæ à principio quidem pectoris effertur, quam ſuo charactere ſic ſcribam C. omitto, quod ipſi habent triplex T, triplex D. atque triplex S. Hoc ſolum addam quod thita græcum hoc modo ſcribam TH, cum & illud habeant. Atque hæc pauca de Arabum litteris obiter in ſtudioſorum gratiam dixiſſe voluimus. Redeo nunc ad id à quo paululum diverteram, quippè ad ſcientias quibus Ægyptii maxime delectantur. Dixi aliàs cum de templo Cairi celebri ſermonem inſtituerem, quod vocant Gemelazar, in eo univerſalem fere omnium diſciplinarum Academiam magnis ſumptibus ali, in qua Profeſſores, atque ſtudioſi, victum, veſtitum, & ad libros etiam, gratis nutriuntur. In hoc inquam celebri Gymnaſio omnes diſciplinæ docentur, quippe logica, naturalis, & ſupranaturalis philoſophia, Rhetorica, Mathematica, Medicina, & Magia tum naturalis, tum ſupranaturalis: ſed omnium maximè aſtrologiæ judiciariæ dant

dant operam, atque artibus omnibus divinatoriis, cujuſmodi eſt phyſionomia etiam eodem modo, quo philoſophi ex faciei præſertim lineis, & aliis accidentibus ipſam tractare ſolent, & Chiromantia ex manuum lineis, quæ divinandi occaſionem præbet. Omnibus vero præferunt Geomantiam, quæ ars ſupra punctorum varios, quæ ab ipſis formantur figurarum aſpectus, ſuum habet judicium, quam eo certiorem per eas punctorum configurationes fieri exiſtimant, ſi cæleſti ſchemati (vulgus geneſim vocat) Aſtrologica arte ſupputato illius de quo, ſive in cujus gratiam Geomantica figura facta eſt, fuerit conformata. Sed quid de Necromantia arte dicemus? omnem illius ſpeciem in Ægypto abunde, neque clam exerceri, qua, mira quidem, & ab Ægyptiis, & ab aliis fieri deprehendimus. Habent ad eam artem docendam varios libros, ſed præſertim, quem vulgariter Solomonis Claviculam appellant. Plurimum admiranda ea arte à quibusdam præmonſtrata fuiſſe ex quodam Reverendo viro (cujus alias meminimus) ſæpe audivimus. Hic vir in omnium diſciplinarum ſtudiis doctiſſimus, maxime delectatus fuerat iſtiusce vaniſſimæ, & Diabolicæ artis cognitione: aliquandoque faſſus eſt amore iſtius artis ſe in monte Libano cum aliis moram traxiſſe, ad eamque artem perdiscendam, & tractandam biennium conſumpſiſſe: quo tempore cum ab uno ſociorum, qui toto illo tempore inibi cum ipſo fuerunt, & liber, & multa ad id parata inſtrumenta fuerint ſublata, qui una cum iis in Indiæ loca fuga arrepta quaſi pervolavit; inde fuit coactus illinc diſcedere, a quo cum in Ægyptum ſeceſſiſſet, & fortè eum ego medicinæ cauſa, quod in morbum ibi incurrerit, cognoverim, & tandem mihi admodum familiaris evaſerit, plura, non absque tamen magna admiratione ab eo de hac arte accepi. Hic vero poſtquam & in Ægypto, & alibi magnos labores, atque ingentia pericula paſſus fuit, tandem prorſus ea arte derelicta, eamque maximè deteſtatus, ubi plurimum pœnitentiæ ob id agendo de illiuſce peccato apud Deum ingemuerit, in Æthiopiam ad Abiſſiæ Regem profectus eſt, qui an incolumis illuc pervenerit, an in itinere perierit, nondum certè cognitum

tum fuit. Dubitandum potius, ut à quibusdam relatum fuit, fame, & ſiti, in ſitientibus iis locis deſertis miſerè ipſum interiiſſe. Sed ad Ægyptios redeo, qui plurimum iſtius artis vanitate delectantur: ita enim quibusdam imaginibus etiam aſtronomica arte confectis, atque characteribus fidunt, ut innumeri ferè ſint qui in ea urbe vivant ſolis ſigillis, quæ illa arte faciunt, quæque ad varia deliramenta Ægypti indigenæ coëmunt, præſertimque ad morbos tollendos, quando credant ferè omnes morbos ea arte hominibus induci, unde & ad ſe ipſos à morbis præſervandos, atque non minus etiam ut ab iiſdem divexati liberentur, varia ſigilla ea arte comparata geſtant, atque ipſis variis modis utuntur. Sunt qui vendunt Veneris ſigillum ad amorem alicujus acquirendum. Alii Martis geſtant, ut in bello evadant fortunati. Alii Jovis ad divitias acquirendas, & ad honores: alii Saturni: alii Mercurii: alii Lunæ ad ſimilia deliramenta. Quid amplius? An non faciunt ſigilla ad mures, ad cimices, ad pulices culicesque, ſcorpiones, phalangia, atque ad ſerpentes non minus fugandos. Plerisque Ægyptiorum creditum eſt, ob Crocodilum ea arte cum variis characteribus olim ab aliquibus Magis confectum, atque ſupra Memphim meridiem verſus unius diei itinere in Nilo flumine ſepultum, Crocodilos non amplius potuiſſe ultra eum locum in quo Crocodilum Magicum ſepelierunt transire, atque hinc eſſe quod Crocodili, ultra eum locum in Nilo flumine verſus Cairum, & exinde Damiatam, atque Raſſitum verſus non viſuntur, neque familiarius converſantur, ſicut ſupra Cairi locum (in quo dicunt illum Crocodilum Magicum ſepultum olim fuiſſe meridiem verſus in Regno Sajetico, atque Thebaico) facere ſolent, ita enim in iis locis copioſi vivunt, & familiares ii ſunt, ut neceſſe ſit & in flumine, & in lacubus, & in terra homines, animaliaque ſibi multam curam habere, ne ab ipſis interimantur, atque eſitentur. Sed de Crocodilis poſterius longè accuratius ſcribemus.

CAPUT

Caput II.

De Mahemetana Religione, atque de Lege in qua plerique Maurorum vivunt.

Jam certè in Ægypto, ut veteres tradiderunt, Bos capite albo non adoratur, non Apis, non pecus, ut Sahit olim consuevit, neque latus piscis, ut Jacopoliti populi faciebant, neque Lupus, ut Licopolis, nec Canis, ut Cynopolis, non Capra, ut Mendesii, non Arena, ut Atribiti, non Crocodilus, ut Arsinoe, non Ichneumenes, ut in Herculis urbe, non Oxirinchus, non Pan, non Minerva, non Lucina, non denique alii antiquorum Dii. Hos enim gens Ægyptia minimè esse Deos existimat, antiquorumque Ægyptiorum, qui similia animalia, & alia pro suis Diis quodam tempore coluerunt, maximè nunc reprehensione dignos putant. Hujusmodi vero Deos quondam habuisse, & à multis veteribus traditum nobis est, atque argumento ex conditis corporibus vulgo Mumiis vocatis, de quibus in primo libro scripsimus, hoc idem confirmatur, quod scilicet singula ea condita, seu medicata corpora, intra pectus figuratum animal, quod pro Deo olim habuerunt, contineant. Non igitur hæc Ægyptus hac ætate pro Diis colit, sed unum Deum adorant, Sacrosanctæ Trinitatis individuas personas negantes Ægyptii: Christianos vero tres Deos colere censent, & quanquam Evangeliis aliquam fidem adhibeant, Christumque Prophetam, atque Dei Spiritum esse fateantur, tamen Dei filium, verumque Deum impiè negant, Mahemetemque verum Dei Prophetam, omniumque maximum, ac ultimum, falsò asserunt, cujus nomen ex Evangelio nos deleviſſe credunt; Bibliorumque libros, quos Thorat nuncupant, credunt, nec non David Psalmos, quos vocant Zabur. Qui tamen Servatorem nostrum Jesum Christum, aut Beatissimam Virginem ejus Matrem, alioſque Sanctos blaſphemare au-

ſus fuerit, ſeverè plectitur. Eorum etiam lege ſancitum eſt ut nullum Hebræum in fide recipiant, niſi prius Chriſti fidem receperit. Quinquies in die adeo devotè orant, ut venienti Pro Regi non aſſurgant orantes : Deum ſemper laudant; nulla in ore illorum unquam blaſphemia audita eſt. Summa inter ipſos concordia eſt, qua profecto res ſuæ creſcunt, nullumque inter eos homicidium niſi à latronibus committitur. Qui vero hæc verba digito indice elevato protulerit, Quippè non eſt Deus niſi Deus, Mahemetes eſt propheta ejus, Maurum eſſe vi compellunt. Ex eorum lege ter in die alterius legis homines, admonere, rogareque ut in eorum pſeudoprophetam credant, tenentur : quod ſane mordicus ſervant. Apud hos, quatuor uxores legitimas accipere licet, licetque & ſervas innumeras pro uxoribus habere, ex quibus ubi filios ſuſceperint, neque eos, neque matres amplius vendere poſſunt, ſed manumittere coguntur. Filios vero tam ex ſervis, quam ex uxoribus legitimos ex lege habent. Conjuges uxoribus, non uxores maritis dotes dant. Summum jusjurandum exiſtimant cum dicunt : Remittere, uxori mihi contingat, ſi ita eſt, ſi hoc faciam, adeoque apud eos ſolemne eſt, ut qui id non ſervat, ut perjurus ſeparatione ab uxore puniatur. Quod ſi quis à ſeparatione mulierem rurſus accipere voluerit, id non conceditur, niſi prius cum alio ea cubuerit, quam infamiæ notam, ut effugiant, ut cum puero coeat, efficiunt. Triginta dies in annum (de quo jejunio poſtèa) jejunant, nihil tota die, neque bibentes, neque comedentes, ſed noctu omni eduliorum genere ſe ingurgitant. Principio dum Mahemetes leges inſtituit ſuas, quatuor ejus aſſeclas prohibuit, quippe animalium primum cujuſque generis ſponte occiſorum, ne ſanguinem comederent : omnia animalia aquatilia, quæ in terra ſpiritum, & vitam ducere valent, ſcilicet amphibia à Græcis dicta, ſicut cancri, teſtudines, & hujusmodi alia. Omnia itidem à quibus natura humana abhorret. Deinde cum inter ejus domeſticos ob vini temulentiam homicidium fuiſſet perpetratum, eisdem & vinum interdixit

hac

hac conditione, ut eo cocto uti liceat, aut ſolo, aut cum aromatibus. Idcirco omnes aquam ex lege bibunt, aut vinum ex dactylis, aut ex paſſis, aut quid ſimile. Habent, & leges quibus populum gubernant, quæ quatuor ſunt generis, Saffei, Malachi, Hhnefi, & Chanefi. His quatuor tot legum periti in quacumque urbe, vel oppido præficiuntur, quorum conſilio utriuſque juris lites dijudicantur, nec rem in dies trahunt, ſed tribus diebus vel damnant, vel abſolvunt, nullis tamen intercedentibus Cauſidicis, Advocatiſve: lites enim ibi non ab Advocatis tractantur, ſed ab iisdemmet ad quos lites pertinent coram judicibus res tractantur. Unde non eſt, ut Cauſidici Ægyptum lucri cauſa petant, quando ibi ipſorum eloquentia nihil poſſit, cum aliis, quam illis ad ad quos res attinent, cauſas tractare coram judicibus non concedatur. Qui vero alteri diem dicit, atque in jus vocat, quod petit, hoc triduo teſtibus, aut ſcriptis probare debet: ſin minus, cauſæ jacturam facit. Inſuper eorum lege cautum eſt, ne ſcorta admittantur, quæ ſi comprobata fuerint, mulieres lapide ad collum appenſo in aquam immergentes interimunt: eas enim quando ſi cum aliquo cubuiſſe, remque habuiſſe compertum habeant, nulli miſericordiæ locus apud judices eſt, quin eæ aqua ſuffocatæ moriantur: Chriſtianis vero, atque Hebræis, ſi cum Turca, ſive cum Maura de ſcorto convincantur, igne ſuppoſito exitium pro pœna ſtat; neque mortem effugere ullo pacto queunt, ni fidem renuerint, & Mahemetes Legem acceperint. Teſtes falſos vel minimo pretio ibi invenias: quo fit, ut noſtrates in Ægypto aut mercaturæ, aut peregrinationis cauſa moram facientes, à Turcarum Imperatore petant, ut ſibi per eum liceat in ejus regno manere, non tamen à quolibet judice lites quas cum Mauris habent dijudicari, ſed tantum in urbe Metropoli coram Rege, ſicque cum Mauri litem noſtris inferre volunt, è converſo Actorem Byzantium vocant, quo adire cum unicuique haud facilè ob ſumptus immodicos ſit, litem illi relinquunt, atque ita noſtri ab omni faſtidio liberantur.

rantur. Insuper à Rege id quoque obtinuerunt, ne contra nostros Mauri, neque Christiani, neque Hebræi illiusce regionis examinati quicquam valeant: Quo fit ut Nostri nunc quietius in Ægypto vivant, quam antea, quo tempore cum has leges à Turcarum Rege nondum obtinuissent, undique illis insidiæ paratæ erant. Mulieres templa nẽ ingrediantur, lex vetat, nimirum propter ipsarum immunditiem id fieri inquiunt, quamobrem neque ipsas dignas fieri, ut post mortem Paradisum ingrediantur, ipsoque fruantur: sed earum animas extra Paradisum in quibusdam locis amœnioribus esse mansuras, juxta quæ loca & Christianos, qui propter infidelitatem haud digni Paradiso facti sunt, unà mansuros credunt. Quo ego aliquando à quadam nobili muliere Turca persuasus, ut Mahemetis fidem reciperem, Mauruſque fieri vellem, sic respondi; Cur vis me tuam sectam recipere? cui respondenti: ut post mortem Paradisum ingrediaris? dixi: melius erit me extra Paradisum cum mulieribus unâ mansurum, quam cum viris Paradisum ingredi, quando sic jucundius fore mihi sperarem cum Mauris mulieribus pulcherrimis extra Paradisum manere, vivere, atque cum ipsis eximiam voluptatem percipere. Quibus auditis, Turca rem in risum solvit, & nunquam amplius ausa est mihi suam legem commendare.

Caput III.

De orandi modo quem Mauri observant, atque de Viris Mauris Religiosis.

Quinquies in die, ut diximus, Mauri devote orant, omnimumque maximè die Veneris, quem diem veluti festivum plurimi venerantur. Mirum certè est quod Alexandrini ea die faciunt, namque, quod illis fuerit quondam à quodam viro (ut ajunt) sancto prædictum, eam urbem rursus Christianos exteros die Veneris capturos, eo timore compulsi

pulſi eo tempore quo in Templis ea die orantes morantur, claudunt omnes Italos, Gallos, Anglos, & alios omnes Chriſtianos exteros intra ſuas ædes mercatorias, ſecumque claves retinent, neque ante orationem finitam ſinunt ipſarum aedium portas aperiri, eosque domum egredi, idque faciunt quod ab ipſis timeant ne eo tempore quo ad orandum ſunt occupati, urbs capiatur, è Turcarumque Imperio adimatur. Habent & Mauri complures religioſorum ab ipſis cætu comprehenſos. Primum, ex iis quidam ſunt, qui ſacra adminiſtrant, Mahemetis Legem interpretantes, pſalmos canentes, & aliis modis in Templis ſervientes, qui uti & noſtri Presbyteri magnos reditus habent quibus commodè vivant. Hi uxores, ut alii homines ducunt, atque etiam ſervas pro uxoribus multas habent. Habent & Monachos habitantes in Cænobiis longius ab hominum commercio poſitis (Dervis hos vocant) qui vitam cœlibem ducere profitentur: omnesque litterarum ſtudiis operam dant, præſertimque Philoſophiæ, atque Theologiæ. Habent viridaria amæniſſima, in quibus tota die morantur, varios libros legendo. Unum cænobium extat extra urbem paulò infra locum, qui Sbechie nuncupatur, in quo habitant monachi ferè quadraginta, viri ſanè perhumani, præliberales, atque noſtris Chriſtianis perquam familiares, qui inter omnes doctiſſimi ab omnibus æſtimantur. Illi vero & Dominico à Rege Nationis Venetæ Chirurgo, & Pharmacopeo, atque mihi Medicinæ cauſa fuerunt, dum inibi viximus, admodum familiares: libentiſſimè diſputant, atque etiam de Mahemetes vita, & lege, atque liberè cum iis ſæpius de multis diſputare potuimus. Mirum certè videtur, illos (etſi Mahemetanam ſectam ſequantur, ut ipſorum aliqui mordicus eam ipſam teneant, ac defendant) eſſe variarum opinionum: nonnulli Atheiſtæ videntur: alii diſputant de mortalitate animæ inſiſtentes Epicureorum dogmatis: alii piè immortalitatem defendunt: complures ſpontè Chriſti fidem Mahemetis ſectæ præferunt, vitamque & mores obſcenos Mahemetis maximè deteſtantur, adeo ut non pauci fateantur ipſum neutiquam Deum Opti-

mum Maximum ſibi amicum habere potuiſſe, quinimò potius Deo ſuis pravis moribus, atque vita execrabili maximè inviſum eſſe oportere. Hi cum egrediuntur Cœnobium ſinguli bini ſimul ſemper ambulant, rarò per urbem, ſed loca ferè ſemper ſolitaria frequentant; ſemper ſecum geſtant librum legis ipſorum, quem Alcoran nuncupant. Tertio plures ſunt, quos Mauri Siech vocant: Noſtri, Santoni. Siech nomen Arabicum hominem quaſi ex ſanctitate, atque ex inſania mixtum exprimit. Hi per urbes, oppida, & villas ſolummodo uno induſio ex panno lineo veſtiti diverſantur, tanta vivendi libertate, ut quæcumque facere ad libitum, vel injuſta, vel inhoneſta illis permittatur, nullumque improbitatis genus reperitur, quod ſi libet non faciant. Ubicumque panem, carnem aſſatam, eduliaque in foro offendunt, liberè iis veſcuntur absque impendio; ad libitumque omnia quæ volunt, gratis comedunt: quin imo tantum abeſt, ut qui vendunt, hæc ad victum de iis ſua comedentibus conquerantur, ut potius Deum ſummè laudent, quod Vir ſanctus dignetur apud ipſos ali. Iſti etiam Sanctones mulierem quamlibet, quam in via offendunt, ſi placet, aliquò manu ducunt, & coram hominibus cum ipſa omni pudore poſito, ut beſtiæ, coeunt. Quæ mulieres, vel etiam ipſarum conſanguinei, minimè de eo actu illicito conqueruntur, ſatis illis eſt dixiſſe, illi parcendum eſſe, quod vir ſanctus ſemiinſanus ſit. Unum ex iis à prima die in qua urbem Cairi ingreſſus ſum usque ad meum diſceſſum ſemper habui infeſtiſſimum, ut ferè ſemper in ea maxima urbe ubique locorum ipſum offenderem, a quo ſemper aliquid moleſtiarum, & contumeliarum accipiebam, atque ita aliquando, ut mihi inſidiæ illius cauſa à Maratris facilè paratæ fuiſſent, niſi Prætorianum militem ſecuritatis cauſa mecum habuiſſem, cujus bactria ipſe timebat: Nonumquam miracula coram multis me videnſe facere inſtituit, quod ut faceret, fruſtum terræ manu altera accipiebat, populoque ipſum oſtendens petebat quid id eſſe ipſis videretur, qui cum ſtatim terram eſſe ſinguli reſpondiſſent, continuò oculis ſuſpectans cœlum, quædam ore ſuſurrando aſtantibus inquit: Verum

rum quidem reſpondiſtis iſtud terram eſſe, ſed qui noſtro Prophetæ Mahometi fidem habuerit, me orante, in ſaccharum mutabit, atque ita eo modo quo circulatores decipere ſolent, loco terræ quam oſtenderat, ſacchari fruſtulum illis tandem oſtendit. Quod miraculum cum omnes magno clamore laudaſſent, ad me converſus ait, quid tibi videtur? cui cum reſpondiſſem optime factum, & magnum meritò videri miraculum, & intellexiſſet me ejus deceptionem rectè perſpectam habere, ut me ignominia aliqua afficeret, detracto induſio, pudenda mihi detexit, magnasque hernias, quæ ex cole turpiter pendebant. Ego vero tandem antequam Cairo diſcederem, fortè cum quadam die ipſum in Hebræorum via ſolum offenderem, usque adeo pugnis deverberavi, pedibusque proculcavi, ut talem memoriam ſic de me ex Ægypto abeunte illi reliquerim. Demum non pauci in deſerto proximo ſunt ex Mahemetis aſſeclis, qui Eremum religionis ergo incolunt, ibi vitam aſperrimam ducentes, perinde atque ex Chriſtianis multi ita vivunt Deo toto ſpiritu ſervientes. Miſeri quidem, & iterum miſeri, qui cum in hoc mundo vitam miſerrimam ducant, poſt mortem quoque luent pœnas ſuæ infidelitatis: quod eo miſerius videtur, cum vitam innocentiſſimam vivant, ſemper admirantes mirabilia quæ fecit Deus, & ipſum collaudantes, laudesque perpetuò canentes, & aſſiduè orantes, jejunantes: Quam erga etiam Chriſtianos benigni, humanique ſint, ſeque nobis præbeant, dici ſatis non poteſt, atque ego ipſorum eximiam benevolentiam ſæpe cum iis verſatus expertus ſum. Deus illorum ignorantiæ miſereatur. Habent Mauri omnes quovis anno jejunium triginta dierum, quod vocant Rhamadam, in quo nihil in die, ſcilicet ab ortu ſolis, usque ad occaſum, comedunt, nihilque bibunt: Nocte vero tota edulia varia ingurgitant plebei. Non pauci vero nobilium etiam noctu ſeverius jejunium quam alii multi faciant exequentes, modicè & comedunt, & bibunt. Aſſiduè noctu orant, collaudantes Deum magnum, & ſuum Prophetam Mahemetem. Singulis ferè duabus horis turres aſcendunt Sacerdotes, mirum in modum Deum,

Deum, ut dixi, collaudantes. Alius vero ex Sacerdotibus ſingulis ferè horis noctis in vicis ſingulis urbis cum multis inſtrumentis muſicis mutum, ſurdumve, atque ingratum ſonum edentibus, & clamoribus populum excitant, ut audiat ſuas clamoſas orationes ad Deum magnum, quem vocant Allacubar, & ad Mahemetem, quem itidem vocant Reſul Alla, & Abibi Alla, id eſt Dei prophetam, & Dei amicum: poſtea hortantur Mauros audientes cavere à peccatis, & rectè ſecundum ſanctam Legem Mahemetis ut vivant, & quæ præcipuè debeant in ea ſervari ab ipſis particulatim exprimunt, inter quæ præcipuum illud eſt, ut viri ſuis Uxoribus ſatisfaciant: quod mulieres audientes ſi tunc ipſarum mariti dormiant, illicò eos expergefaciunt, dicentes, Com, Com; id eſt, ſurge, ſurge, & audi præcepta legis. In Templis ſingula unaquaque nocte publicè Sacerdotes Theologi concionantur, quam ſane concionem plerique Maurorum, maximeque Nobilium, quos vocant Chiclebi, aſſiduè frequentant, habentque Concionatores doctiſſimos, qui inſtituunt diſſertationes elegantiſſimas, & utiliſſimas pro illorum ſecta, & comprobanda, & confirmanda. Mirabile dictu eſt quot, quantæque Lampades in tota Urbe noctibus iis accenduntur: usque adeò enim iis luminaribus, quæ non habent numerum, nox clara redditur, ut non minus quam die homines noctu Templa adire queant. Habent, & inter dies præcipuè feſtivos quosdam in quibus faciunt commemorationem Sacrificii Abrahami. Vocant hos dies Baieram; unusquisque qui poteſt occidit illa die arietem, vel agnum, vel vervecem in illius ſacrificii memoriam, unde innumera in parietibus domorum, atque in oſtiis manuum hominum ex ſanguine occiſorum animalium conſpurcatarum veſtigia à multis relicta. Hæc ſufficiant obiter dicta de iis, quæ ad Mahemetanam ſectam faciunt. Nunc de vera in Deum religione, quam ibi Chriſtiani ſervant, ſermonem inſtituamus.

CA-

Caput IV.

De Christianis qui Ægyptum habitant, & primo de Græcis.

EX Christianis Ægyptum habitantibus, primo loco dicemus Græcos, qui habent pro suis Sacerdotibus Caloyeros, quique & Alexandriæ, & Cairi, & in Monte Synai nunc vivunt, separati à Romana Ecclesia, quod schismatici sint. Illorum Patriarcha olim Alexandriæ residebat, nunc Cairi manet. Vivunt vitam innocentissimam, asperrimamque, fere semper jejunantes, magnaque devotione, sanctitateque cultum divinum exercentes. Ex iis Sergius & ipse unus fuit, qui cum non, ut in ejus fuerat optatis, in Patriarcham Alexandriæ à suis Caloyeribus eligeretur, iratus, Mahometanæ sectæ auctor præcipuus creditus est. Ipse enim fuit qui Mahemetem perdocuit, & adjuvit: Mahemetes enim ne vel etiam legere, aut scribere noverat; sua quidem placita confirmabat subscriptionis loco manu atramento denigrata chartæ adhibita, ac sua manu sigillando. Legem, quam Mahemetes promulgavit, Sergium scripsisse affirmant. Dicunt plures, cum Mahemetes esset prope Sues, civitatem penès Mare Rubrum positam, cum magna hominum turba ipsum insequentium, in loco à Sues semidiei itinere distante, ubi puteus erat profundus sine aqua, ut videretur veluti Moses à Deo in monte Synai legem accepisse, eamque suis postea publicasse, eundem, Sergio Monacho, librum, in quo Mahometana lex ab ipso fuerat perscripta, secum habente, clam demisso in fundum putei, coram turba exclamavisse. Videte librum in quo à Deo scriptam legem habebitis, & statim illis ostendisse librum ex toto similem ei, quem Sergius in fundo putei stans habebat, hoc excepto, quod in ejus chartis nihil prorsus scriptum erat, quem funiculo parvo ad Sergium demisit, qui eo a funiculo detracto, alterum eidem funi adligavit, in quo lex scripta legebatur, quem è

puteo poſtea extractum, Mahemetes populo publicavit, juravitque coram illis hanc legem à Deo in eo libro ſcriptam fuiſſe, foreque propterea ab ipſis religioſius obſervandam: quumque vidiſſet illud turbæ placere, inquit: quicumque meus frater dici cupit, in mei memoriam lapidem in hunc puteum projiciat, quo dicto, ſtatim ſinguli lapidem projecerunt in puteum, quibus puteus momento temporis oppletus eſt, intuſque in fundo putei Sergius lapidibus obrutus vitam finivit. Nunc etiam omnes qui illuc tranſeunt, lapides in puteum projiciunt in Mahemetis memoriam: Unde ſæpe in anno coguntur vicini populi lapides è puteo extrahere, ipſumque pervium facere, ut peregrini poſſint ad libitum lapides more ſolito in ipſum projicere. Non me latet alios alio modo hæc de Mahemete ſcripſiſſe, nihilominus Ægyptios ferè omnes Chriſtianos hoc modo Mahemetis hiſtoriam conſtantiſſime retuliſſe, non ſemel ab ipſorum primoribus, ſed ſæpe audivi. Illis vero Monachis Caloijeribus è quibus fuit Sergius, Mahemetes immunitatem de ſingulis, & ad victum, & ad veſtitum attinentibus, conceſſit, quam ipſi in charta pergamena ſcriptam uſque ad illud tempus habuerunt in quo ego Cairi fui, quamque & manu propria ſcriptorio atramento infecta inſtar ſigilli impreſſerat, atque ſubſcripſerat. Hanc anno MDLXXXIII. Hebraimo Baſſæ tunc Ægypti Pro-Regi coacti fuerunt oſtendere, cum Alexandriæ Malem quidam, id eſt publicanus, qui mercium inibi introeuntium, atque exeuntium vectigalia exigit, illos Reverendos Monachos coegiſſet de quadam vini quantitate ex Creta inſula ad ipſos navi convecta vectigal ſolvere, nunquamque illi amplius vectigal ob eam immunitatem ſibi olim à Mahemete conceſſam ſolviſſent, Pro-Regem adierunt ſupplicantes ſupplicantes ei, ne cogeret illos ſolvere, cum ſemper immunes fuerint à quacumque ſolutione propter illis conceſſam à Mahemete immunitatem, quam cum Hebraimus coram aliis multis in auditorio publico legiſſet, & recognoviſſet impreſſam manum Mahemetis ſui prophetæ, Hebraimus illicò ipſius capiti eam, ut Turcarum moris eſt, honoris cauſa ſuperpoſuit ac dixit: Dedecus eſt, & magnum ſanè, haſce ſanctas

noſtri

noſtri prophetæ reliquias in manibus infidelium relinquere: ex quo Pro-Rex eam retinuit immunitatem, alteramque ejus loco ei ſuffecit, omniaque quæ petierunt libentiſſime in Mahemetis memoriam conceſſit. Illorum multi habitant in Cœnobio, quod habent in monte Synai, quodque muris altiſſimis, fortiſſimisque metu Arabum undique cingitur. Ab hoc Cœnobio ad milliare Italicum diſtat locus in quo fuit inventum corpus Beatæ Catharinæ, Alexandriæ martyrio ob Chriſti amorem interemptæ, cujus quidem corpus, ea mortua, Alexandriæ numquam amplius conſpectum eſt: quod poſtea per ſomnium quidam Sanctus ex Caloyeribus, monaſterium montis Synai cohabitantibus, commonitus, ſub quodam lapide invenit, atque in illiuſce monaſterii templum repoſuit, quod profecto à nullis quam ab Angelis miraculosè illuc in altiſſimum illum montem, ab Alexandria mille milliarium ſpacio diſtantem, deferri potuiſſe nemo inficias ibit. Omnes quidem eos Monachos ſanctiſſimè ſemper inibi vixiſſe apud omnes Ægyptios conſtat; illosque, Sultanorum Ægypto imperantium ætate, maximè in religione Chriſtiana floruiſſe, ipſorumque quendam olim Patriarcham, ajebant, & vita innocentiſſima, religioſiſſimaque, & miraculis in ea urbe celebrem fuiſſe: de quo inter alia miracula hoc cuidam Regi Sultanorum olim illuxiſſe affirmabant: quippè cum a Rege Hebræi cujuſdam illis Monachis inimici ſuaſione perſuaſo, ille Patriarcha interrogatus, an verum ſit, Chriſtum in Euangeliis dixiſſe; Quicumque Chriſtianus ſit, non debere timere, etiamſi quid mortiferum biberit: cui ſtatim cum reſpondiſſet, veriſſimum eſſe, tunc inquit Rex, te ut tali die coram me cum te voluero, venenum bibas, parato; ille, cum annuiſſet ſe, quod voluerit, lubenter facturum, dimiſſus eſt. Qui poſtea cum aſſiduè ad Deum oraſſet ſimul cum omnibus ſuis Monachis, ne Dominus pateretur quicquam adverſus veritatem Euangelicam dedecoris ab inimicis fidei Chriſtianæ fieri; quadam poſtea die ad Regem evocatus, coram Rege Hebræoque, qui ipſum ad id, ut experiretur Chriſtianam veritatem, Regem permoverat, cum oblatum ſibi calicem cryſtallinum exitiali veneno

plenum Regis jussu bibendum, accepisset, atque ea etiam conditione, uti Hebræus Regem prius instruxerat, ne Crucis signum super calicem bibendo venenum, facere Patriarchæ liceret, Sanctus Patriarcha fidei Christi planè confidens, accepto calice, ad Regem versus, manu signum Crucis super venenum faciens, inquit: non vis etiam ut hoc crucis signo me muniam? & continuò venenum bibit. Postea Rex post multum tempus videns Patriarcham à veneno nequidem mortuum, sed neque ullam ab eo sensisse molestiam, plurimum admiratus est, præsertimque cum sciret illud fuisse ex summè mortiferis. Interim Patriarcha petiit à Rege, ut illud vitrum diligenter absterſum plenum optima aqua ipsi Hebræo concederetur, quod acceptum Rex Hebræo obtulit, ut ejus aquam biberet: Hebræo vero renuente eam aquam bibere, Rex summopere ob id iratus ei dixit: ille bibit in hoc vitro venenum, & tu times puram, optimamque aquam in vitro diligenter deterſo, & abluto bibere? qui, cum Rege jubente aquam bibisset, paulo post quasi veneno jugulatus coram Rege interiit, non absque magna, & Regis, & aliorum, qui interfuerunt admiratione; sicque veritas Euangelica in Reverendo Patriarcha coram Rege magno miraculo confirmata, atque aucta est: Et hæc de Græcis Christianis.

Caput. V.

De Christianis Cophtis, & de Reverendis Jesuitis qui in Ægyptum missi fuerunt à Pontifice Maximo Gregorio XIII., *ut Natio Cophta Ecclesiæ Romanæ conciliaretur.*

IN Ægypto Christiani partim sunt exteri, partim patrii. Exteri sunt, qui ex variis mundi regionibus in Ægyptum mercaturæ causa veniunt, cujusmodi præcipui Veneti sunt, Galli, Angli, Rhagusini, Florentini, & Siculi. Ad hos vero quo-

quotannis duos Fratres Franciſcani è Hieruſalem veniunt in Ægyptum, ut ipſorum curam ſpiritualem habeant, quorum unus Confeſſor eſt, alter Prædicator. Patrii vero Chriſtiani Cophti dicuntur, qui propter hæreſim Eutychis, quam ſecuti ſunt, negantes in Chriſto duas naturas, ſcilicet humanam, & divinam, ab hinc mille fortè, & ducentos annos ab Eccleſia Romana Orthodoxa ſeparati, & in Ægypto, & in Æthiopia vixerunt ſub diſciplina Chriſtiana unius Patriarchæ, quem Abuna nuncupant. Huic vero Cophtorum Patriarchæ Æthiopiæ Rex (Regem Abaſſiæ vocant) unoquoque anno duodecim millia aureorum, atque munera mittit, Cophti autem in Ægypto habitant ad quinquaginta millia, qui ſi Romano Pontifici obedientiam præſtarent, noſtris Chriſtianis in omnibus antecellerent, cum fidem noſtram adeo acriter defendant, ut probra quæque pro Chriſti nomine ſuſtinere parati ſint, qui quamvis ſub infidelium imperio vivant, & ab eis quotidie injuriis, contumeliis, verberibus, atque magna ignominia divexentur, boniſque ſæpius ſpolientur, nihilominus Chriſti fidem neutiquam mutare velint in turpem Mahemetis ſectam: quod ſi facerent, ab iis moleſtiis liberi evaderent, quietamque, & tranquillam vitam ſibi pararent. Sed ipſi mundi divitias præ fide contemptui habent, maluntque Chriſtiani in maxima ſervitute eſſe, quam ea derelicta imperare. Sæpe ipſorum aliqui pro fide martyrio extincti ſunt, cujuſmodi fuit ex ipſis quidam qui propter ſcortum comprobatum morti damnatus, fidem noſtram in Mahemetis ſectam fragilitate vitæ una die mutaverat, atque altera cum illud feciſſe plurimum & pœnituiſſet, & ad Deum ingemuiſſet, adiit Pro-regem in publico auditorio, eique cum dixiſſet, heri ebrius, & fatuus renui Chriſti fidem, nunc ſolutus ebrietate, atque fatuitate, Mahemetis falſi Prophetæ ſectam itidem renuo, illicoque magno clamore, ut ab omnibus Mauris in aula aditorta audiretur, cœpit Chriſti fidem ſupra omnes magnis laudibus concelebrare, qui cum alia multa ad confirmandam Chriſtianam fidem viva voce intrepidè dixiſſet, continuò ferreis uncis ad portam Babzuelis appen-

ſus eſt, ut moreretur; qui tribus diebus ibi appenſus vixit, ſemper vel etiam moriens Chriſti fidem laudando. Cophti primum quod ipſorum filios docent, atque ut eorum inſideat mentibus ſtudent, hoc eſt: veram ſcilicet, ſolamque in toto orbe terrarum eſſe Chriſti fidem, quem Meſiha appellant, adeo ut, ſi à puero bimulo cujas ſit quæras: Mendil el Meſiha, ideſt ex lege Chriſti, reſponſum habeas. Nos meritò derident, atque maximè redargnunt, quod ex noſtris nonnullos tam facile fidem relinquere, atque falſam illam Maurorum amplexari, videant, nec multo poſt ei ſeſe adeo deditos oſtendere, ac tyrannidem in eos exercere obſervent. Turcæ, ut plurimum Chriſtianis, qui fidem renuerunt, quod ſuis fideliores ſint, cuſtodibus utuntur. Quàm omnes Cophti Sanctos ſingulos colant, ipſorumque feſtos dies, atque aſperis jejuniis utantur, crebrioribuſque, ſatis quidem dici non poteſt: quinimo ſi Cophtorum jejunia noſtris comparentur, noſtra lautiſſima convivia abſque dubio videbuntur. In Patriarcham illum ſolummodo eligunt quem verè cælibem eſſe norunt. Hic cum decem millia aureorum cenſum in annum habeat, eos omnes, ut notum eſt, pauperibus, & cænobiis diſtribuit, ſibique neque neceſſaria ſervat, ſed quotidie è mendicatis vivit. Duo monaſteria Cairi habet, alterum virorum, atque alterum mulierum. Sunt & illic quatuor alia Monaſteria, Divi Antonii unum, alia Divi Macarii, de quibus poſtea: quæ omnia alit ex iis reditibus, quos ex Chriſtianis colligit. Aſſiduè per totam provinciam Chriſtianos viſitat, Aſinum conſcendens, baculumque manu gerens, nec non & Crucem argenteam pulcherrimam, quam Æthiopum Rex ei dono miſit: multos Epiſcopos, & Archiepiſcopos ſub ſe habet. Seſe libentiſſimè Romanæ Eccleſiæ conjungeret, ni plebem timeret, quæ tot annis in antiquorum erroribus vixit. Multis enim novum eſt cum audiunt eſſe Pontificem eorum Patriarchæ ſuperiorem. Sperabatur tamen noſtra ætate omnes illos Romanæ Eccleſiæ obedientes futuros, opera præſertim Reverendi Patris Johannis Baptiſtæ Æliani, Sacerdotis religioſi è Societate Jeſu, viri innocentiſſimi, & omni

omni ſanctitate ſpectandi, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo ad Cophtorum cum Romana Eccleſia reconciliationem in Ægyptum primo miſſi, qui toties ſeſe, vitamque propriam periculis, mortique pro fide Catholica committere non dubitavit, atque cum ipſe Linguæ Arabicæ peritiſſimus eſſet, meritò hoc illi onus impoſitum fuit, cui poſtea Socius Reverendus Franciſcus Saxus, theologus è Jeſuitarum itidem ſocietate doctiſſimus, adjunctus eſt. Primum namque Ælianus una cum Johanne Bruno, Theologo ſpectatiſſimo, Maronitas, montes Libani in Syria habitantes, Sacrarum Litterarum in hiſtoriarum cognitione celeberrimi, cum à multis quidem in fide autiquis erroribus primum expurgaſſet, atque ad Romanæ Eccleſiæ gremium reduxiſſet: impiè enim ii credebant Spiritum Sanctum ab uno Patre procedere, humanasque animas, ubi è corporibus evolaſſent, certis in ſedibus ad extremum usque judicii diem detineri, licere nuncium uxori remittere, infantesque ante quadrageſimum diem baptiſmate luſtrari non debere: in Ægyptum venit Anno MDLXXXII. atque in Cairi urbe perpetuo quoad diſceſſit, manſit in domo Pauli Mariani civis Veneti, atque pro Rege Galliarum Conſulatum agentis: viri ſane non minori in Ægypto auctoritate quam liberalitate ſpectatiſſimi, qua omnes peregrinos domi libentiſſimè recipiebat, atque præter modum honorabat, ſummam illis oſtendens benevolentiam. Tunc enim Cophtorum Nationis ſpeciatim protector erat, virque ingenio maximè verſatili, Linguæ Arabicæ, Turcæ, Græcæ, & Gallicæ peritiſſimus. Apud ipſum Marianum Ælianus ſemper hæſit cum ſuo ſocio Mario Romano, qui poſtea Alexandriæ, febre tertiana peſtilente interiit. Paulò poſt venit ei in auxilium Franciſcus Saxus Neapolitanus cum ſuo Socio Franciſco Bona Mediolanenſi, qui omnes in ædibus Mariani fuere benigniſſimè ſuſcepti: quin imo illis partem ſuæ domus ceſſit, & pro illorum habitatione, & pro templo etiam conſtituendo. Itaque cum Johannes Baptiſta Aelianus primùm Mariano ſummi Pontificis deſiderium aperuiſſet, rogaſſetque ut illis protector eſſe vellet, & in tam utili, & honorabili Rei-

Reipublicæ Chriſtianæ opere obeundo ipſis ſuum auxilium (quod maximum quidem auctoritate ſua apud Cophtos ſibi dum vellet pollicerentur) non denegaret, tantumque beneficium ſuffragationem à ſummo Pontifice perpetuo plurimi æſtimatum iri, & non absque digno etiam præmio ab eodem Pontifice fore compenſandum : Marianus promptiſſimè conditionem accepit, & omnem favorem ad eam rem, quoad vires ipſius extendi poſſent, pollicitus eſt. Quod & fecit; antea enim duo Sacerdotes, à Pio IIII. ſummo Pontifice in Ægyptum ad Cophtorum Nationem Eccleſiæ Catholicæ reconciliandam olim miſſi, vix cum Patriarcha Cophtorum loqui potuerunt; nam ſæpe audivi à Reverendo Presbytero Antonio Palmerio Anconitano, qui & Capellanus multorum Conſulum & à ſecretis illorum triginta, & plures annos Cairi vixit: Cophtorum Patriarcham iis Sacerdotibus impiè reſpondiſſe : Non poſſe, qui Sacerdos eſſet pauperrimus, & è mendicatis viveret, cum Pontifice Maximo, tot Civitates, & Provincias, divitiaſque in mundo poſſidente, conciliari, cum eſſet inter utrumque proportionis nulla convenientia : Quo reſponſo eos Sacerdotes remiſſos fuiſſe, & non abſque magno vitæ periculo ex Ægypto abiiſſe : Itaque Mariani favore factum eſt, ut cum Cophtorum Patriarchâ complures Epiſcopi, & alii Sacerdotes Cairi in domo ipſius ſæpius ad tractandum de eorum hæreſi fuerint convocati : qua occaſione innumeri ferè ſemper ex Cophtorum Religioſis apud Marianum, atque apud Jeſuitas familiariter verſabantur. Ego enim huic negotio ſemper interfui, atque quoad potui, ipſum, quando medicinæ faciendæ occaſione ſæpiſſimè cum ipſis, ægrotos eos viſitando, de præcipua illorum hæreſi egerim. Quod negotii, etſi primo cum cœptum eſt, ſuas habuerit ex multorum Cophtorum ignorantia difficultates, qui dicebant in hæreſi de duabus naturis in Chriſto, licere *bieltamis*, ideſt eas mente contemplari poſſe, illas vero duas naturas, humanam quippe, atque divinam eſſe, affirmare, blaſphemum eſſe. Verum tamen ut Reverendi ii Patres, qui omni ſtudio, & dili-

diligentia ſtudebant illorum mentes ab antiquis his erroribus expurgare, ſcripſerunt de eorum hæreſi libellos quosdam Arabica lingua exaratos, in quibus quoque Sancti Cyrilli (cujus doctrinæ omnes, cum ex ſuis is fuerit, aquieſcunt) auctoritate declarare, & illuſtrare veritatem hanc, ſedulò ſtuduerunt. Quos poſteaquam compluribus Cophtorum, iiſque maximè qui in Theologia eruditiores æſtimabantur, Reverendi Patres communicarunt, atque publicarunt, res tam facile fuit reddita, ut ex eorum libellorum lectione veritatem fuerint ita aſſecuti, ut præcipui apud eos faterentur, omnia Romanæ Eccleſiæ modo intelligere, nihilque aliud obſtabat ne illi ſe ſubmitterent omnes Romano Pontifici, quam ipſorum Patriarcha, qui nondum veritatem Catholicam probè intellexerat, qui orabat Deum, & orare ſuos Sacerdotes aſſiduè curabat, ut de hac ipſa veritate illuminaretur, ut crederet ea, quæ in rem Chriſtianæ Eccleſiæ eſſent. Unde ipſius mors (ille enim ſupra annos octoginta natus erat) pro tanti negotii expeditione, ſcilicet pro agnitione Catholicæ veritatis à nobis, & pluribus Cophtis expectabatur: interimque plures illorum, qui Romano modo fidem Chriſti intelligere à Reverendis Jeſuitis fuerant inſtructi, ad Romanum Pontificem proficiſci tunc parabant, & præſertim Patriarchæ Vicarius, qui nondum omnia ſecundum Romanam veritatem intelligebat, ſed cæteros alios eo modo erudire aſſiduè operam dabat, isque, poſt mortem Patriarchæ, omnium deſtinatione ſucceſſor ſperabatur. Quæ omnia cum munus reconciliationis Cophthorum ad Romanam Eccleſiam finem exoptatum attingere nobis modo promitterent, eoque certius, quod Patriarcha ipſorum, cujus ſolummodo incredulitas exitum retardavit, tunc mortem obiit, à quo cum certè ejus Vicarium in futurum Patriarcham eligendum (qui in omnibus cum Romana Eccleſia ſentiebat) omnes affirmarent, ipſumque futurum Patriarcham pro certo haberent, tunc ex Cacodæmone magna oborta procella, conjunctio hæc planè impedita eſt, atque à nulla alia cauſa, quam ab ea, quam nos modo dicemus illud evenit. Paulus Marianus,

abhinc multos annos emerat Conſulatum Gallorum à quodam, ut ajunt, viro Gallo, qui Gallus ſolus in cauſa extitit, quod tam ampliſſima Chriſtianorum Natio, quæ jam à Reverendis Jeſuitis perdocta Romano Pontifici ſe ſubmiſſura erat, ad Eccleſiæ Romanæ gremium non reduceretur. Is inquam, cum Conſulatum quem olim Mariano vendiderat, redimere ſibi denuò, Marianusque emptione receptum Conſulatum nunquam relinquere vellet, per multos annos ipſum eo Conſulatu ſpoliare fruſtra tentavit, cum profecto Marianum & honeſtatis, & juſtitiæ jura maximè tuerentur, atque etiam unà cum his magna ipſius apud Turcas proceres, ac Mauros eſſet auctoritas, plurimi enim ſemper magna ſua liberalitate in Turcas, & in Ægyptios fuit æſtimatus ab Ægyptiis. Cum igitur is contra Marianum in lite diu ab eo agitata nihil ſe profeciſſe videret, nactus occaſionem opportuniſſimam ex negotio quod in domo ejuſdem Mariani de reconciliandis Cophtis cum Eccleſia Catholica quotidie tractabatur (cujus occaſione ſemper domus Mariani Cophtis hominibus, & religioſis, & ſecularibus compluribus referta erat, à quibus de hæreſibus ipſorum cum Sacerdotibus Jeſuitis diſputabatur, & conſultabatur) cœpit Byzantii apud Turcas eo auctore diſſeminari, quod Cairi apud Marianum in ejus domum omnes Ægyptii Epiſcopi cum Patriarcha quotidie conſultationis gratia ſimul cum Arabibus multis convenirent, non ad tractandum de Chriſtiana fide ſolummodo, ut fingebant, ſed forte, ut Arabes Cairi urbem à Turcarum imperio eripiant: Marianusque de iis per litteras Byzantio certior factus, bonam occaſionem nactus, Pro-Regem Ægypti, qui fuit Hebraimus Baſſa, viſitando, illum certum reddidit de iis, quæ in ipſius æde quotidie à Jeſuitis cum Cophtis tractarentur, & quæ Byzantii contra ipſum evulgari cœperint: ad quæ Hebraimus, qui Marianum plurimi faciebat, ſubridens, ait: Nunquam ex te quicquam mali in me fieri credam: Marianusque dimiſſus eſt, atque abiit. Ipſius vero adverſarius ab inceptis haud deſiſtens, non ceſſavit Turcarum menti inprimere, fore opera Mariani Conſulis in Ægypto,

gypto, ut ab Arabibus urbs magna Cairi citò obsideretur, & eriperetur è manu Turcarum, ni citò provideretur. Quod Calumniatoris illius opera, etiam ad Imperatoris aures pervenerat. Unde cum Hebraimus Byzantio à Turcarum ipsomet Imperatore jussus esset, ut huic rumori occurreret, quod fortè, etsi nihil ab Arabibus videretur timendum, non minus futuram in fide Christi Cophtorum cum Romano Pontifice unionem suspectam haberet. Cum fortè ea die qua Pro-Rex Litteras de hoc rumore Byzantio acceperat, in ædes Mariani plures Cophtorum Religiosi quam ante consueverat, atque alii eadem de causa simul convenissent, nocteque subsecuta ante auroram Judæus larvatus in Arcem ad Pro-Regem admissus, dixisset: Prorex, quid dormis? quid stas? Heri apud Paulum Marianum innumeri Arabes cum Christianis simul convenerunt, &, ut ego verè exploravi, ab ipsis de nulla alia re actum, consultumve est, quàm de introducendis Arabibus ad hanc urbem occupandam: quibus dictis, Judæus dimissus est, & paulò post aurora lucescente Pro-Rex contra Marianum valdè iratus, jussit Subbassi, ideſt urbis præfecto, ut Sacerdotes quoscumque Christianos apud Marianum offendisset, ipsos cum Mariano vinctos ad se duceret: qui cum multis Chiaussis, atque aliis Turcis ad domum Mariani profectus, tres Jesuitas cum uno Fratre Franciscano Sacerdote, qui cum ipsis inventus est, qui proximis, paucisque ante diebus Hierosolymis in Ægyptum venerat, prehendit, quos omnes vinctos ad Hebraimum, qui se in insulam Mechias nuncupatam recreationis gratia contulerat, duxit. Marianus vero, quod plurimum à Turcis sua liberalitate æstimaretur, etiam atque etiam, ut vidit Turcas, Sacerdotes Christianos vincientes, illis clara voce dixit: quicquid de his religiosis erit deliberatum, volo ut de me quoque fiat, continuòque cum duobus Gianizzaris Prætorianis militibus, suis custodibus equitandò secutus est eos eminus. Cum itaque Subbassi ad Pro-Regem eos vinctos deduxisset, dixit ad ipsum: tibi sacerdotes quos in æde Mariani offendimus, vincti adsunt: proinde quid tibi de iis videtur faciendum imperato. Qui respondit, quid de

Mariano Conſule ? an & ipſum vinctum cum ipſis habetis ? Reſponderunt : ipſum , ſtatim ut nos ad comprehendentes Chriſtianos religioſos adcurrere vidit , dicere audivimus ; quicquid deliberatum erit de Chriſtianis religioſis , de me quoque futurum volo , itaque minimè prehendimus , præſertim cum eos ſecutus ipſe hic adſit ; proinde imperato quid de eo fieri vis , placet ne ut & ipſum una vinciamus? Pro-rex obſtupuit , quod illos Marianus eſſet proſecutus , & poſtea juſſit , ut Jeſuitæ in Carcerem Arcanà dictum conjicerentur , & Marianum abire ſinerent , neque ipſum tunc audire voluit. Die ſubſecuta ipſum Marianum in aula auditoria declaravit Mazul , id eſt omnibus Conſulatibus ſpoliatum. Ex captivitate Jeſuitarum , omnes Cophti & ſeculares , & religioſi , maximèque Epiſcopi magno terrore perterriti extra urbem ad ſua loca illicò abierunt. Propter hunc caſum timoremque vereor ut per multa ſecula Romanis Pontificibus amplius aditus detur denuo tractandi cum ipſis de ipſorum ad Romanam Eccleſiam reconciliatione. Hæcque cauſa extitit quamobrem tam utile ad rempublicam Chriſtianam negotium , ferè ex toto confectum , fuerit diſſolutum. Mirum eſt , cur Johannes Boterus , hiſtoriographus noſtra ætate nunquam ſatis laudatus , in ſuis Relationibus anno MDLVII. Ferrariæ impreſſis , hanc veram cauſam , quà Cophthorum negotium diſſolutum fuit ſcripſerit ; & poſtea in iisdem Relationibus , quæ Venetiis impreſſæ fuerunt anno MDXCVI. mutata ſententia in aliam cauſam illud referre voluerit , ſcilicet in Patriarchæ Vicarium , qui dubitaverit ex facta unione Eccleſiæ Cophtorum cum Romana & Pontifice Romano , ii cum ſubditi evaſerint , Patriarchæ electionem , non à Cophtis amplius Epiſcopis , ſed à ſolo Pontifice Maximo futuram. Hoc unum certè ſcio , ipſum Vicarium ex iis , qui omnia à Jeſuitis perdocti ſecundum Romanam Eccleſiam intelligebant , fuiſſe præcipuum , atque non minus auctorem , ut aliis Cophtis veritas Romanæ doctrinæ perſuaderetur , atque aperiretur. Accedit , quod etiam non me latuit , interim ſcilicet quoad tempus Patriarcham eligendi eſſet (quando ante annum integrum à mortuo

Pa-

Patriarcha eligi non ſoleat) ſe ipſum, una cum nonnullis aliis Cophtis eruditioribus Romam iturus, ad iter parabat, nt pedes ſummi Pontificis oſcularetur: nulloque modo dubitare poterat, quod ea unione facta Pontifex alium in Patriarcham electurus eſſet, cum is cæteris aliis in Catholica doctrina & eruditior eſſet, & auctor, ut dixi, quod Natio Cophta ſecundum Romanum ritum erudiretur, præcipuus, & maximus. Addo, omnes uno ore futurum illum Patriarcham tunc pro certo habuiſſe. Sed quid amplius. Cum Patriarcha nunquam veritatem edoctus, hæreſim de duabus naturis rectè non cognoverit, Jeſuitarum deſiderio ad imponendum huic negotio finem nihil æquè obſtitit atque Patriarchæ pertinacia, ſpes enim erat, eo mortuo, Vicarium ſucceſſurum, qui perceptis doctrinæ Catholicæ dogmatis, flagrabat deſiderio, ut Cophti ad ſummum, maximumque Pontificem Romanum redirent. Quod vero Mariani adverſarius, ut eo modo Marianum, quem aliter vincere nequiverat, Conſulatu deturbaret, ſolus moræ cauſa fuerit, ut tam utilis Cophtorum unio cum Romano Pontifice penè affecta diſſolveretur, eo argumento certum eſt, quod à publico Cancellario Veneti Conſulis Antonio Palmerio Presbytero requiſiti plures id faſſi, quò iſtius opera tam utile negotium diſſolutum fuiſſe Romæ poſtea, atque alibi liquidò conſtaret, & etiam nunc memoria probè teneo rogatos, omnes tunc affirmaſſe, hoc tam grave Chriſtianæ Reipublicæ damnum in illum, ad capiendam de Mariano vindictam, retuliſſe.

Caput VI.

De Paulo Mariano Conſulatu à Pro-rege Ægypti ſpoliato : deque Rev. Jeſuitis carceratis , quid fuerit deliberatum.

Die altera poſtquam Reverendi Jeſuitæ fuerunt carcerati, Paulus Marianus Gallorum, Raguſinorum, Tuſcorum atque aliorum Conſul à Pro-rege Mazul factus, dignitate ſpoliatus, nec unquam ad Pro-regem admiſſus eſt; ſperabat enim ſi ad Hebraimi colloquium veniret, ipſum fortè ſententiam mutaturum, ſeque eum benigniorem experturum. Hebraimus vero Baſſa verebatur, ne, ſi ipſum audiviſſet, ſua eloquentia, & de ſe ipſo, & de Reverendis Jeſuitis omnia ex voto impetraret, ſibi perſuarum iri. Unde Marianus domum reverſus per multos dies privatus Mercator vixit. Interim de carceratis Jeſuitis Georgius Emus, ibi pro Sereniſſima Veneta Republica Conſul Illuſtriſſimus, vir quidem omni laude dignus, ſæpius Pro-regem adiit, ut carceratos Jeſuitas liberaret. Fruſtra vero illud ab eo tentatum eſt, unde neceſſe fuit eos in carcere, ad meliorem eventum relinquere. Interim cum ab omnibus Conſulatibus Marianus vacaret, Johannes Wrotus Anglus, vir nobilis, & ſcientiarum ſtudiis eruditus, qui cum in Syria Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, mandato primùm Conſulem pro Anglis creaſſet, in Ægyptum itidem venit, ut Paulum Marianum, ſi poſſet, (quando ejus famæ, virtutumque celebritas ad Eliſabethæ Angliæ Reginæ aures perveniſſet, ipſaque tantum virum ſibi Conſulem habere, deſideraſſet) in Conſulem ſuæ Nationis Anglæ eligeret. Qui cum Alexandriam nave appuliſſet, & à quibuſdam Marianum omni Conſulatu exutum intellexiſſet, deſiderio ſummo contendebat, ut pro ſua Regina ipſum Con-

Conſulem haberet, ratus illud ſi obtinuiſſet, ſe rem gratiſſimam ſuæ Reginæ facturum. Itaque Mariano, omni Conſulatu tunc vacuo, opportuniſſimam hanc occaſionem nactus, Cairum evolavit, & cum omnes ferè peregrini in domum Mariani non minori liberalitate, quam benevolentia exciperentur, ipſe quoque Wrotus ab eo invitatus eſt, planè inſcio, quod fortuna, ſibi reconciliata, aliunde non minoris nobilitatis, atque utilitatis quam antea, Conſulatum ei paraſſet. Eadem die Wrotus Anglus Mariano indicavit ſe ipſius alloquium expoſcere: benignè à Mariano exceptus aperuit ſuæ Reginæ deſiderium, ſcilicet ut conditionem Anglici Conſulatus ſibi à Regina Angliæ oblati reciperet. Is vero, hactenus adverſâ fortunâ divexatus, cum dubitaret id ne opera ſui adverſarii ad ipſius etiam contemtum fieret, Reginæ voluntatem literis firmatam produci petiit, unaque mandatum Turcarum Imperatoris de ipſo eligendo pro Angliæ Regina Conſule. Quibus omnibus perſpectis, hilari animo oblatam ſibi conditionem Conſulatus recepit, ac poſtridie ab Hebraimo Pro-rege Turcarum Regis mandato obediente, Gallis mercatoribus coram Pro-Rege mordicus contendentibus cum Anglis, Angliæ Conſulatum ſub Galliarum Conſulatu comprehendi, animis ſic utrinque concitatis, ut fere ad arma inter ipſos deventum eſſet, Paulus Marianus Angliæ Conſul creatus eſt. Conſul denuò pronuntiatus, paucos poſt dies Jeſuitas, termille aureis Pro regi ſolutis, è carcere eduxit, nec Hebraimo Mariani olim amantiſſimo diſplicuit ipſum rurſus Conſulem evaſiſſe. Unde in publico Divan, ideſt in Aula regia auditoria, à Pro-rege examinatis diligenter ſcripturis, libris, & aliis omnibus quæ una cum ipſis Jeſuitis deprehenderat Subbaſſi, tandem Reverendi Patres liberati ſunt. Unum non ommittam ex quo propenſio Hebraimi in Chriſtianos quædam obſervata eſt, quippe cum in Auditorio omnia Jeſuitarum ab Hebraimo Pro-rege, Cadi Laſcar, Patriarchis Turcis, atque aliis perveſtigarentur, ſi forte quicquam eſſet ex quo Turcæ Imperatoris inimici cognoſcerentur, cum Hebraimus Capſulam Jeſuitarum ligneam aperiret, atque in ea

Cru-

Cruces parvas, habentes reliquias Sanctorum locorum, Hierosolimis receptas, coronas, atque alia Christianæ religionis ornamenta, offendisset, surgens quidam ex suis Patriarchis Siec Ramole vocatus, visis iis crucibus ad Pro-regem inquit: Vides ne Pro-rex quam adversarii ex iis appareant Mauris religiosi Christiani, cum hæc secum teneant à nostra lege damnata? Cui Hebraïmus subridens respondit: nunquid quæ in hac capsula lignea habentur, sunt gladii, enses, vel militaria tormenta, quibus nobis bellum inferre queant? Quid mirum eos hæc habere, sucumque tenere ea quæ suæ fidei congrua sunt. Ad quæ Siec Ramole tacuit. Priusquam autem ego ex Ægypto discederem Anno MDLXXXIII. Cairi in carcere Arcanà vocato Reverendos Jesuitas nondum liberatos visitavi. Carcerem Arcanà vocant, quod cæteris carceribus aliis, qui in Urbe Cairi sunt gravior habeatur, quia in eo innumeri ferè sunt carcerati. Est vero locus is figura, & amplitudine mediocris Cameræ, terreno solo, quod tamen non humidum est, optimaque sanè videtur habitatio, portam unam ligneam habens, quæ & clavi lignea munitur. Carcerati inibi vivunt nulla parte vincti, etiamsi ipsa illa die supplicium subituri sint. Quid multa? ipsis ad libitum carcere egredi conceditur, atque foris in larga planicie etiam liberè spatiari, unusque solus custos illorum à me observatus fuit, gerens manu baculum subtilem ex palmæ ramis: vide ut hic carcer cæteris atrocior æstimetur. Ego vero ut eos Patres visitarem, custodem Carceris conveni, & rogavi ut me ad Reverendos Patres in Arcanà admitteret cum aliis, qui mecum unà fuerunt: qui libens ostium carceris aperuit, & apertum ipsum reliquit, quoad cum illis hæsimus: nos multum in carcere unà cum illis loquentes præsente custode illo fuimus, sed postea in longum sermones producebamus, namque custos permisit eos carcere egredi, & nobiscum in area ampla proxima diu spatiari, nosque solos ita relinquens, diu abfuit. Neque credendum eo modo custodiri solummodo eos, qui ob leviora facinora accusati comprehenduntur, sed etiam qui pœna capitali puniri debent. Reverendus Johannes

nes Baptiſta Ælianus vitam hilarem ducebat, quod aliàs hujusmodi carceres fuerat expertus, mihique ſubridens oſtendit quendam Maurum, qui nobiſcum una egreſſus carcere aſſiduè in genua procumbens orabat, quòd intra paucas horas ipſo illo die vitam laqueo finiturus eſſet; qui nihilominus liber, nullis vinculis adſtrictus, etiam extra carcerem cuſtode permittente exſpatiabatur, imo etiam neutiquam fugeret. Tanti faciunt Mauri ſuo Regi, ſuiſque legibus obedire. Putant enim continuò ad Mahemetem eo modo vitam finientes in Paradiſum evolaturos. Ceſſent igitur aliqui, carcerem Arcanà vocatum amplius culpare. Patres, poſt meum ex Ægypto deceſſum, liberati, Romam poſtea profecti ſunt.

Caput VII.

De Cophtis Chriſtianis, qui in deſerto divi Macarii aſperrimam vitam ducunt.

Inter Cairum, & Alexandriam haud longe à lacu nitroſo (de quo ſuo loco) in Deſerto ſunt quatuor Cœnobia Divi Macarii vocata, in quibus Reverendi Monachi Cophti reperiuntur, antiquorum patrum more vitam ſanctam, & cœlibem ducentes. Primum Deir el Seide nuncupant, in quo quadraginta Reverendos Monachos inveni una cum eorum Epiſcopo. Secundum Deir el Siriam vocatum, quod Syrii patres habitant. Tertium verò Beatæ Virginis cœnobium eſt, & quartum divi Macarii, in quo ſanctiſſimus ille vir olim habitavit. Hi Patres corpora quædam quorundam Sanctorum habent, quæ Babiſoi appellant, adhuc integra, colore vivido, perinde ac ſi in vivis eſſent, coriis quibuſdam involuta, quæque incorruptibilia ſervata dicunt, quod Domini noſtri, quem benignè hoſpitio ſuſceperant, pedes laverint. Inter mira autem quæ de his dicunt corporibus, hujuſmodi eſt. Quendam Patriarcham ea integra eſſe minimè credentem,

illa cum detexiſſet, morbo correptum ſtatim mortem obiiſſe: unde qui ipſius loco ſubſtitutus eſt, foras coriis inſcripſit. Quicumque corpora hæc integra eſſe non crediderit, anathema ſit. Iſti omnes Reverendi Patres, quos dixi, in victu ſemper abſtinent à carnibus, & ovis: jejunii vero tempore ne oleum quidem, aut piſcem comedunt, ſed pane, & leguminum quodam genere ſunt contenti, atque modico mellis. Reliquis autem diebus eorum cibus eſt, mel, oleum, legumina, & cerealium ſeminum quædam. Quotidie pſalmos David canentes altare circumeunt, lignum ligno pulſantes. Cœnobia vero muris præaltis ſunt cincta, portas ferreas habentia, humiles tamen, ut illis Arabum impetus ſuſtineant. Qui cum ſæpe in ſolitudine & ipſi, & ipſorum equi fame pereant, ad Monachos confugiunt, ut hi illis ſuccurrant. Atque cum nonnulli pro equis hordeum petant, alii pro eorum uxoribus puerperis farinam, alii oleum: aut hujusmodi aliud, Patres quicquid petunt, deorſum funè demittunt, neminem eo fruſtra veniſſe permittentes. Camelos quibus neceſſaria ducuntur ad monaſteria, ne furto furripiantur, proſtratos in cœnobia recipiunt. Monachi ſuceeſſivis horis, quibus ſcilicet non orant, ſiſcellas contexunt. Eorum cœnaculum noſtratia æmulatur: paropſides iis ſunt ex fictili ſiſcella contectæ, atque mappæ ſtoreæ, ſive mattà, cervical lapis: nunquam veſtes pelliceas, ſeu rhenonem induunt. Hi habent corpus divi Macarii integrum, nihil antiquitate corruptum, extra cœnobium veluti in quodam ſacello parvo repoſitum, quod habet portam ligneam ſera lignea clauſam. Anno MDLXXXII. quidam reverendus Presbyter ex Italia in Ægyptum profectus peregrinationis gratia, Cairique aliquantulum, ut peregrini ſolent, cum moraretur, & fortè ad Divi Macarii ſe cum aliis contuliſſet devotionis cauſa, & eorum Monachorum vitam ſanctiſſimam, Monaſteria, & alia ſedulò obſervaſſet, præſertimque corpus divi Macarii contineri in loco extra monaſteria poſito, non ex toto clauſo, nec eſſe difficile noctu illud furripi, & illinc per Nilum flumen ad quod paucis horis itur, per Alexan-

xandriam navi inpoſitum in Italiam deferri poſſe, eo modo quo corpus Sancti Marci Venetias olim devectum fuit: una cum comitibus explorato loco, ſimul Sancti Macarii corpus noctu ſurripere deliberarunt: quod ut exequerentur cum naviculam conſcendiſſent, fingentes redire Alexandriam, atque ut melius omnia explorarent, rurſus ad cœnobium profecti, finxerunt ſe acuratius iterum ea Sancta Corpora videre velle: At Rever. Patres à quodam Cophto Chriſtiano interim de ea re admoniti, timentes, die, noctuque continuè excubias facientes, ſacellumque cuſtodientes, irritam, atque inanem eorum ſpem effecerunt. Reverenduſque ille vir cum aliis Cairum reverſus, paulo poſt ex Ægypto diſceſſit.

Caput VIII.

De Hebræis in Ægypto habitantibus.

In Ægypto non minor Hebræorum quam Chriſtianorum numerus eſſe obſervatur, qui aut ex mercatura vivunt, aut variis artibus inſtructi. Ex ipſis multi maximè divites mercaturæ negotio efficiuntur. Plerique vectigalia, præſertim portoria pro Turcarum Imperatore mercium in Ægyptum & introentium, & inde exeuntium habere ſtudent, (noſtri Publicanum vocant, & Arabes Malem) Hi omnes citò diteſcunt, atque adeo, ut theſauros cumulent. Hujusmodi fuit Hebræus Natan Cohen vocatus, qui multos annos cum portoriorum in Alexandria exactionem obtinuiſſet, ita ditatus eſt, ut Aſſam Baſſa Prorex Ægypti cum inſidioſe eſſet à quodam Hebræo edoctus de Hebræi Natan Cohen Malem, qui exactionem plures Annos Alexandriæ portoriorum vectigalium habuerat, maximis divitiis, ùt ab ipſo eas extorquere, expilareque poſſet, mandavit ut in Carcerem ipſum conjicerent; at ille antea illud ſuſpicatus, ita to-

tum thesaurum suum occultavit, ut nunquam Pro-rex ipsum, etsi magno studio diu fuerit perscrutatus, potuerit reperire. Verum tamen in ligneæ capsulæ, cum merces omnes extractas abscondisset, angulo, pyxidicula lignea smaragdus clausus, inibique oblitus inventus est, hic septuaginta millia aureorum fuit æstimatus, ex quo judicent quot gemmas pretiosas alias ille habuerit, quantumque auri, argentique: nihilominus ipse antea (ut dixi) insidias sibi à Pro-rege parari suspicatus, ita probè abscondit, ut non fuerit possibile eas divitias detegere, etsi omni studio, & diligentia id Bassa procurarit, quin imo in Carcere mortuo Natan Cohen Hebræo, paulo post Cairum accersivit ejus filium, annos, si bene memini, quadraginta natum: coram quo vafer Pro-rex simulavit, magnum se de parente ejus mortuo dolorem sensisse, quod illum suis virtutibus atque illius cognita vitæ innocentia, & præsertim de eo in quo fuerat accusatus, plurimum amare cœperat, qui si supervixisset, inquit, mea quanta erga illum futura fuisset benevolentia, maximè expertus fuisset; at, cum ita voluerit Deus, oportere & filium, & consanguineos, & amicos ejus voluntati acquiescere. Cumque hæc, ut filium consolaretur, dixisset, subjunxit, & ut tu privatim cognoscas illiusce memoria, meus quantus erga te ipsum, & tuam familiam amor, benevolentiaque sit futura, tibi primum concedo eandem exactionem quam tuus pater tot annos habuit, tibique præterea polliceor, me te, tuamque familiam omni benevolentia in patris memoriam semper prosecuturum, tibique persuadeas volo, me tui præsertim & protectorem, & fautorem semper & hîc, & alibi futurum. Hisque verbis filius Natan perquam benignè ab Assan Bassa Eunucho Ægyptique Pro-rege sopitus, gratias ei egit primo, postea conditionem accepit, scilicet onus exigendi pecunias redituum recidentes in Turcarum Imperatorem. Itaque Malem, idest exactor, ab eo in locum Patris suffectus, &, ut consuetudo est, veste nova sericea sibi à Pro-rege donata indutus, dimissusque à Pro-rege, domum magna pompa à multis comitatus, reversus est.

eſt. Neque inſidiæ ei ſtruebantur, Prorege ſperante iſtum filium potuiſſe ſcire, ubi Patris theſaurus abſconditus eſſet, & hoc modo facilius ab eo ſe inventum eundem theſaurum poſſe eripere. Nihilominus neque filio pater indicaverit locum in quo fuit, neque ipſe unquam invenire ipſum potuit, ſed paulo poſt in paralyſim incidit, quem cum quadam die ego conveniſſem, ut ab eo morbo ipſum curarem, ita jubente Conſule Veneto Illuſtriſſimo, cui multam pecuniam mutuo datam debebat, contigit, dum ibidem eſſem, ut, juxta cubile in quo decumbebat, audita vox à quibusdam ſit, Ibi Subaſſi, qui viſitatum ipſum nomine Pro-regis venerat, ſtatim (tantum eſt apud omnes hoc nomen Subbaſſi formidabile) ex eo ingenti oborto timore, coram me; atque aliis multis expiravit: Subbaſſique cameram ingreſſus, mortuum vidit; unde neque Pro-rex vafer ſua aſtutia, calliditateve compos voti effectus eſt, nullo modo enim ſcire potuit ubi theſaurus fuerit ſepultus. Innumeri ferè ſunt ex Ægyptiis ditiſſimis, qui cum magnos theſauros habeant, Pro-regis inſidias timentes, ſic abſcondere ſolent, ut ne vel filii iis mortuis inveniant. Sic ſolent Turcæ miſeros ſubditos expilare, præſertimque ſub avaris Imperatoribus: quo tempore enim Imperatores probi, juſti, non avari vivunt, cavent ſibi Baſſa, & Præfecti ſubditis malefacere. At ex omnibus Ægypti Pro-regibus, nullus ditior factus eſt quam Aſſan Baſſa Eunuchus, qui ſpatio duorum annorum in Ægypto, (illicitis tamen artibus) plurima centena millia aureorum lucratus eſt, quorum duodecim centena millia, per illud tempus quo Pro-rex ibi egit, Byzantium Matri Imperatoris, Sultanis ejus Concubinis, & aliis fautoribus dono miſit: reliqua centena millia in itinere, abiens ab Ægypto, & Byzantium proficiſcens occultavit. Is enim, quod per columbam admonitus ex juſſu Imperatoris Turcarum matre, quæ illum ob magna dona accepta plurimum diligebat, quod Hebraimus Baſſa Pro-rex Ægypti creatus brevi venturus eſſet, brevique expectaretur, ut Aſſan Baſſa primo Imperatoris mandato, in Ægypto Maſul declararet; ideſt à Præfectura privatum, & obtruncaret, atque ma-

gnum thesaurum ab ipso, per fas (ut ajunt) & nefas cumulatum, invaderet : fuga arepta Assan Bassa per desertum iter, antequam Hebraimus adventaret, cœpit Byzantium versus: mox per legatum, illi in deserto missum, postera die ab Hebraimo, qui Cairi in arcem jam pervenerat, Imperatoris nomine revocatus, respondit, se nolle redire, &, si Turca Rex quicquam ab eo vellet, se Byzantium ad ipsum Imperatorem profecturum.

Caput IX.

De Medicina Ægypti, deque Medicis Ægyptiis.

Posteaquam de gente quæ Ægyptum habitat, deque ejus temperamento, victu, atque de morbis qui eam vexare solent, in hac historia hactenus scripserimus, pauca de eorum medicina quoque non omittenda duximus : pauca tamen de ea dicemus, quando in Libris de Ægyptiorum medicina plura dixerimus. Verum si nos de ea medicina qua veteres Ægyptii olim usi fuerunt, loquamur, profecto illud unum affirmabimus, eos quippe nullis fuisse postponendos, cum Hippocraticam artem ii optime calluerint, atque medendo exercuerint, atque, si quid est hac nostra ætate quod in hac arte bonum esse videatur, id totum antiquorum illorum medicorum doctrinam redolere videtur, & quasi hæreditate ad illos pervenisse est credendum. Veteres itaque dogmaticam Medicinam probè tenuerunt, multaque multi de ea doctissimè scripserunt, & quæ perpulchra sunt; quæ omnia continere videtur liber utilissimus, elegantissimusque eo idiomate scriptus (Sife) nuncupatus ab Ægyptio compositus, quem Turcarum Imperator cum Ægyptum subigeret, inter preciosa quæque reconditum invenit. Nec multo post Turcæ qui inter eos primas tenent, plura exemplaria conscripserunt.

Hunc-

Huncque jure optimo magni faciunt, magnoque Avicennæ canoni præferunt. Neque eorum, qui ad Civitates regendas mittuntur, ullus reperitur, qui ſecum hunc librum non ferat, quo quidem & valetudinem tueantur, & morbos absque ullo Medici conſilio depellant. Cujus libri exemplar nunquam ibi aſſequi ab illis potui. Habent & Librum quem Ebnagel ducam appellant, in quo omnia medicamenta cum ſimplicia, tum compoſita ſcripta habent ad omnes ſanè morbos tollendos opportuna, qui liber eſt maximè omnibus familiaris, cujus exemplar ad me non absque magno labore pervenit. Ex antiquis habent omnes medicos Arabes, quippè Avicennam, Albumazaram, Raſim, Averroem, Abimbetar. Habuerunt igitur antiqui Ægyptii medicinam quondam maximè excultam, neque immeritò, cum & Cyrenem haud procul ab Ægypto habuerint, in qua Dogmaticam veram medicinam multum claruiſſe conſtat, & Hippocratem ab iis, non minus quam à Crotonienſibus præcipua medicinæ dogmata accepiſſe, aliquibus creditum eſt. Nunc vero hæc ars apud ipſos haud parum defeciſſe à ſua perfectione videtur. Dogmaticam enim etſi ipſi fateantur habere, nihilominus, ut & in Lib. de Medicina Ægyptiorum diximus, admodum imperfectam: majori etenim ex parte empiricam exercent. Neque enim ibi Medicus totam artem ſe habere profitetur, ſed quandam illiuſce partem, vel aliquot partes ſolummodo, minime integram. Namque quidam medici febrium curationem iis pollicentur, & alii ſingularium quorumdam morborum. Unde alii Chirurgiam exercent, in qua parte longe noſtris antecellunt, & in ſanandis vulneribus, ulceribusque & in chirurgicis operationibus faciendis, præſertimque in mittendo ſanguine ex variis venis perfectis, atque non minus etiam exſectis arteriis. Secant enim arterias non minus ſecurè, quam venas. Exercent in pueris, in mulieribus, in Eunuchis crurum ſcarificationem, tantopere ab antiquitate concelebratam, quæ apud nos planè obſolevit. Habent etiam modos varios partes inurendi, ſed unum præſertim ex involuto linteolo ad ignem accenſo, ex qua inuſtione vix (ita magna dexteritate, atque

que artificio fit) aliquem dolorem ſentiunt. Arabes inuſtionibus in capite factis à variis morbis homines & præſervant, & ex toto obortos morbos, vel etiam noſtris, qui videntur inſanabiles, tollunt: antiquos enim dolores capitis ea uſtione ſanant, catarrhos firmant; ad os ſtomachi inuſtio facta coctionem juvat, mirum in modum ſtomachum roborando: ab antiqua tuſſi, orthopnea pectus inurendo eo modo liberant: non minus lienis, hepatisque tumores eo præſidio ſanant, & coxendicis dolores, cæterosque alios articularios morbos his uſtionibus tollunt. Ad lapides ex veſica, & ſectione, & absque ſectione extrahendos præſtantiſſimi ſunt. De quibus omnibus nos in Libris de Medicina Ægyptiorum accuratiſſimè ſcripſimus. Præter hos medicos, ſunt medici auricularii, dentarii, ocularii, bechici, uterinarii, qui ſolummodo harum ſingularum partium ægritudines ſanare profitentur. Uteri vero morbis ſanandis medicæ Mulieres præferuntur: putant ſanè viros non poſſe mulierum morbis (quod eas partes ignorent, neque liceat eas videre) recte ſed mulieres mederi.

Caput X.

Quibus modis Ægyptii Sanitatem tueantur: qua occaſione de victus ratione, de evacuationibus, purgationibus, deque exercitationibus, balneis, & partium quarundam præſervatione, agitur.

Etiamſi in Libris de Medicina Ægyptiorum de arte medendi apud eos populos uſitata abundè ſcripſerimus, atque de modo quo ſeipſos à morbis præſervant, nihilominus non abhorrebit à noſtra Naturali Hiſtoria, ut hoc loco de modis quibus ſanitatem conſervant, pauca etiam perſtringamus. Si-

Siquidem plurimi illorum ſalubri diæta, moderato cultu, & victu tuendæ valetudini incumbunt. Atque horum alii cum delectu tantùm in ciborum adminiſtratione, alii nullis Legibus ſe ſubmittentes, ſed quotannis ſe purgantes: quidam caſſia Saccharo condita non ſemel aſſumpta: quidam ſero caprino: plurimi tamarindis, nonnulli camelarum lacte: Quidam ſunt qui per totam æſtatem polenta utuntur ex recenti hordeo mediocriter toſto parata, atque farinæ, ut ſuave olentior fiat, aquam roſaceam addunt. Hæc autem duobus modis in uſum venit, vel enim ipſam in aqua linteo ligatam macerant, expreſſionemque addito Saccharo bibunt, vel in aqua modicum ebulliunt, & cum Saccharo itidem eam aſſumunt. Cibus utilior, gratior, & magis conveniens in regionibus calidis inveniri nequit. Hac utuntur, qui temperamento calidiori prædíti ſunt, ſitibundi, nauſeabundi, maximè autem mulieres, quæ ob ventriculi mordicationem in animi deliquium incidunt. Quod & Hippocrates in Epidemiis docuiſſe viſus eſt, dicens. „Mulier cardialgia *In 2°. Epid. 2°.*
„ torquebatur, nec prius malum eſt ſedatum, quam polenta
„ ſucco punici aſperſa ſemel in die uteretur, reliquis cibis
„ abſtinens, nec amplius vomitu reiciebat, qualia Chevion
„ Charitonis filius.„ Qui tamarindis ſe purgant, his in aqua quotidie ad quatuor uncias infundunt, atque ſaccharum addentes, abſque ulla moleſtia eorum alvi ſolvuntur, biliſque ea purgatione educitur: ad quam quidem bilem purgandam magis conveniunt quam caſſia, aut manna, præſertimque in regionibus calidis, ubi dulcia facilè in bilem vertuntur. Non ſecus atque in India fieri accepi, multi à purgatione per quindecim dies aſſumunt nonnulla grana lapidis Bezahartici cum aqua bugloſſi, aut machalef, per eumque annum, ſic facientes, à morbis ſe præſervatum iri putant. A multis morbis præſervantur exercitiis, frictionibus, & balneis, quorum genera, atque uſus optimè norunt: partes enim omnes; & ſanas, & ægras exercent, eo penitus modo, quo id faciendum eſſe docuit Galenus ita dicens. " Hæc igitur omnia *In 2° de tuend. valetud.*
„ exercitationum genera ſunt, quæ & modo dictas differen-

„ tias habent, & ſupra has, quod alia lumbos magis quàm „ brachia, crurave exercent: aliæ ſpinam totam, aut pul„ monem tantum, aut thoracem, quippè itatio, curſuſque, „ crurum exercitationes ſunt acrochriſimi, & ſciamachiæ bra„ chiorum, ac manuum propria, lumborum autem aſſiduè ſe „ inclinare, ac rurſus revocare, idque aut pondus aliquod à „ terra tollentem, aut aſſiduè in manibus ſuſtinentem. Sunt „ & qui depoſitis ante ſe halteribus uno intervallo diſtantibus, „ poſtea medii ipſi ſtantes inclinant ſe, atque attollunt „. Pedes ergo greſſu, & curſu exercent, acrochriſmis manus, lumbos flexione, thoracem & pulmonem maximis reſpirationibus voce, & dieta, & ipſius inſtrumenta, maxime verò, qui propter frigiditatem excalfieri deſiderant, atque pro variis morbis, variis exercitationibus utuntur, ut in ſuſpirioſis, orthopnea laborantibus, quartanariis, capitis affectibus, vociferatione utuntur. Morbo vero comitiali obnoxios, aurium dolori, geſtatione, ambulatione, curſu mediocri, vehiculiſque exercent. Nec non qui facilè incidunt in tonſillarum inflammationem, aut vitia, quæ antiades vocant, collumellam, gangrænas, dentium vitia, qui imbecillis ſunt cruribus, & ejuſmodi vitiis conflictari ſolent, ſuperiorum partium exercitia, veluti cheronomia injungunt. Qui vero abſolute imbecilles exiſtunt, leves exercitationes tantum ſuſtinent: validiores autem, qui pluribus diebus febre carent, aut qui nonnullorum morborum principia ſentiunt. Vocem plurimi exercent, non modo ad ſanitatem, ut dixi, ſed etiam ad quæſtum. Qui enim elegantiori modulatione, graviorique vocis ſono cæteris præſtant, ii magna præmia ferunt. Cum enim nolis, & tintinnabulis horariis Mauri careant, nonnulli ante lucem per tres horas, terque in die, ſemelque ad noctis horam, voce pollentes, turres in templis extructas, ceu & noſtras ſacras, conſcendunt, atque antelucano tempore in omnibus templis per horam declamant, canentes, hortanteſque, ut omnes ad orandum de ſomno ſurgant, melius eſſe dicentes orare, quam dormire, ut eorum quorum ſunt Oratores, exoratores exiſtant: Deo enim gratiſſimum eſſe, ejus

ſervum

ſervum ſibi diluculo gratias agere, quo tempore ipſum è Cælo deſcendere ajunt, ut videat, num quis pro tot beneficiis ei grates perſolvat. Pſalmos quoque David canunt, atque etiam ex eorum lege multi ſunt, qui concinunt, cantare, & reſpondere parati: quod ſummopere delectat, cum Arabes præſtantiſſimi ſint Muſici, non arte, ſed natura. In quacumque urbe reperitur templum inter reliqua maximum, à quo incipit cantus, atque ubi præclari Muſici hinc fuerint auſpicati, ad alias arces, ſeu turres proficiuntur. Ad hujuſmodi voces ferè omnes, & mulieres ipſæ conſurgunt, ut orent: alii ad templa ſe conferentes, alii verò domi. Qui autem cantu antecellere ſtudent, ad vocem expediendam ſemper aliquid ore detinent, ut liquiritiæ ſuccum, ejusdem decoctum, Myram, ſtiracem, iridem, tragacanthum, gummi genera multa, hyſſopi vinum, quo quidem, & cum aliis, & ut medicamento uti poteſtatem habent, rerum pectoralium decoctum, oleum è nucibus Indicis, oviſque ſorbilibus, & multis aliis, quæ brevitati ſtudens omitto. Sed ex vocis exercitatione ad frictiones, atque ad balnea, quibus tuendæ valetudinis cauſa omnes ferè utuntur, redeo. Frictionibus citra Medici auxilium in balneis, & domi opportunè in quantitate & qualitate utuntur, qualitate, ut dura, molli, mediocri, quantitate vero, ut mediocri, multa, & pauca. Earum uſus optimè norunt, dura enim ad adſtringendum, mollia ad ſolvendum, modica ut impleat, multa ut minuat, utuntur. Frictio præparatoria, quæ fit ante exercitationem, primum blandè, deindè valentius, quoad corpus rubeſcat, iis familiariſſima eſt. Similiter apoterapia, ſeu recuratoria, ut recentiores vocant, quæ fit, ut ea, quæ in muſculis ab exercitatione detenta ſunt, evacuentur. Eaque duplex eſt, altera, ut exercitationis pars, altera vero, ut ejuſdem ſpecies. In his membra modulantur, & contrectant, his à laſſitudinibus præſervantur. Divites dormituri, ut leviter pluribus manibus perfricentur curant: hoc enim modo ſibi ſomnum promoveri, corpuſque recreari aſſerunt. Ad quem uſum etiam balneis utuntur, quippè pro illorum corporum præſervatione, de quibus cum in Li-

bris de Medicina Ægyptiorum poſtremæ editionis accuratè ſcripſerimus, non eſt iterum ut eadem repetamus. Utuntur itidem in balneis præter fricationes, ſudatione, & vomitione, de quibus etiam à nobis in iisdem libris commodè actum eſt. In balneis variis pſilotris, quæ ad manus habent, pilos in inguinibus, & aliis partibus expilant; inter quæ vulgatiſſimum eſt quod ex calce, aut chali, & ſandaraca conficiunt. Alii thithimali ſucco, alii urina canina, atque aliis utuntur. Eodem modo ad canitiem retardandam multa medicamenta in promptu habent, cujuſmodi eſt decoctum myrobalanorum, oleum de coſto, de melanchio, nec non oleum de ſinapi, & de colocyntide. Cedria quoque multorum capillos illinunt per quatuor horas, & poſtea lavant. Mulieres in balneis multa faciunt, & ut ipſarum lavent corpora, & ut caput ſpeciatim detergant, ad dolorem tollendum, atque ad capillorum quoque conſervationem, ablutionem, & pulchritudinem comparandam. Pro quibus Balneatores multa medicamenta parata in balneis habent: Inter quæ eſt terra Beilum vocata, qua multæ capillos obvolvunt, eoſque pulcherrimos reddunt, &, ut dicunt, etiam longos. Ad quem uſum itidem habent oleum amygdalinum dulce, & myrteum. Sed hoc iis eſt valde familiare medicamentum, quod componunt, accipientes hordei ſine cortice ʒ xxx., chebuliorum, aut emblicorum mirobalanorum ʒ. v. ex aqua coquunt, deinde addunt oleum violaceum, ladanum ad ʒ iij, foliorum althææ, ſeſami, & cucurbitæ ana ʒ. x., coquuntur quoad oleum tantùm ſuperſit. Quoniam autem tota Mauritanorum ſecta, quin imò omnes mulieres plagam orientalem incolentes, albedinem in capillis damnant, colore atrorubente delectantur: idcirco ad eum uſum in balneis parantur medicamenta, ex quibus non parum quæſtus iis accedit. In frequenti uſu ſunt liguſtrum Ægyptiacum, quippe ejus folia quandoque ſola, quandoque miſta roſis: modo nucum aquam, modo cariophyllos addunt, ne cerebrum lædatur. Vel gallas aſſumunt in fictili cum modico olei torrefactas, deinde contuſas, cum liguſtro miſcent, addentes modo modicum aluminis,

aliàs

aliàs ſal armoniacum, alias æs uſtum, quod Ferretum Hiſpanicum vulgus vocare ſolet. In multis autem regionibus mulieres liguſtri foliis pulveriſatis (Archenda Ægyptii vocant) atque aqua vel ſimplici, vel roſacea ſubactis, capillos rufo colore inficiunt, caputque, & cerebrum hoc medicamento ſanum conſervant, cum adſtrictionis non paucæ ſit particeps. Ad febrium ardorem, & vehementiam nullum aliud remedium validius invenere, quo refrigerentur, quam Nymphææ pulverem ſi liguſtro miſceant, vel ſi liguſtri pulverem, Archendam dictam, ejusdem Nymphæ ſucco, aut aqua ſubigant, aut alio conſimili ſucco, aut aqua refrigerante manuum, & pedum volas tingant, & illinant: quo etiam medicamento ad uſtas partes, & inflammatas uti ſolent, nec non ad oris ulcera. Liguſtri florem maximo cum emolumento olfaciunt ægri, nec non frontem illinunt, quod Mauri cognoſcentes ipſum familiariſſimum habent, nullumque ibi ægrum invenias, apud quem hujusmodi flos non reperiatur: ex eo etiam aquam extrahunt ad fluxum ventris, gonorrhœam, & uteri profluvium ſummè utilem, atque ad ſanguinis rejectionem. De liguſtro autem Ægyptio, nos in libris de Plantis Ægypti ſcripſimus, atque longè accuratius poſterius in hac noſtra hiſtoria de eodem acturi ſumus. At his obiter dictis, rurſus ad præſervationem redeo, unumque non omittam pro puerorum præſervatione, quod quamvis Ægyptii calidam habitent regionem, nunquam puellos vel nuper natos, vel etiam pueros adultos lavant, adeo frigus timent, ut multi vigente æſtu veſtes pelliceas induant. Pro infantibus vero multa in balneo medicamenta inſtructa reperiuntur, inter quæ primas tenent myrti pulvis, & ſantalorum, atque curcumæ radices. Ipſos octavo quoque die lavant, diligentiſſimè educunt, nutricis, & lactis magnum delectum habent: lac ſuper ſpeculum an probum ſit experiuntur: ante ſeptennium pueros equitare aſſueſcunt: eorum legem ut diſcant, ſumma diligentia curant: eorum moribus ſummè ſtudent, atque optimo cantu eos delectant. Mulieres verò, puerique eunuchi, quibus abundant Ægyptii, nunquam vi-

num bibunt, quod ſi qua mulier vinum bibere deprehendatur, eam in carcerem adigunt, atque inter meretrices recenſent: eandem pœnam ſubeunt omnes alii, quod vinum biberint accuſati, qui cum ad judicem deducti ſunt, eorum naribus clauſis, num vinum biberint, expiratione explorant: qua perſpecta veritate, hominem humi proſternunt, ejuſque pedes in laqueum ligno alligatum conjiciunt, quod utrimque attollentes, pedeſque, & crura ſurſum elevant, caput deprimunt, ab utroque latere hominem detinentes, ipſum multis verberibus, fuſtibus & nervis bubulis ſuper pedes, & nates plectunt, ut quandoque ungues decidant. Ab hoc tamen immunes ſunt, qui à Rege ſtipendium habent. Præſervationis quoque gratia Ægyptiorum plurimi, ne omnes dicam, quotannis, non modo ſemel, ſed bis vere, & autumno ſanguinem ſibi detrahunt, & hoc faciunt tam urbani, quam agreſtes homines. Unde quandoque omnes unius Villæ incolas ad quatuorcentum una urbem petere, ut ſanguis ipſis mitteretur, vidimus: quidam è brachiis, quidam è cruribus, multi ex venis frontis, nonnulli ex occipitio, prout vel alias conſueverant, vel ab eorum medicis iis præſcriptum fuerat. Chirurgi autem hujusmodi hominibus ſanguinem educunt, non in pelvim, aut in vas aliquod illum colligentes, ſed in terram effundentes, quantitate conjectura æſtimata. Ob ſanguinis vero abundantiam ipſum Ægyptii extrahunt, quod ni faciant, febribus ſanguineis corripiuntur, in plethoramque quoad vires & quoad vaſa incurrunt, aliiſque morbis, à quibus periculum impendet, corripiuntur, quo probè ab iis cognito, ſanguinem educendo morbos præveniunt. Sanguine autem multo Ægyptios abundare, ſicuti certum eſt, ſic qua de cauſa fiat, illis incertum. Dicam verò (licèt hanc rem in Lib. de Medicina Ægyptiorum ſatis, ſuperque conſideraverim) quod à doctioribus Ægyptiis accepi. Inquiunt ii, aquam Nili magnam copiam ſanguinis gignere, non qua aqua, ſed ob ſanguinis vim quam adhuc ex eo tempore retinuit, quo vir ſanctus, & propheta Moiſes Dei juſſu Iſraëlitas ex Ægypto, ex Pharaonis tyrannide liberare ſtudens, a-

quas

quas Ægyptias in ſanguinem convertit, quas licet denuo poſtea in aquas mutaverit, tamen ſanguinis vim hucuſque retinuiſſe, omnes exiſtimant. Quod utcumque ſit, hoc veriſſimum eſt, ſanguinem ibi abundare, ægroſque eo ſuffocari, niſi citiſſimè venæ ſectione occurrant, aut aliis præſidiis ſanguinis abundantiam tollant: & hoc pace tanti viri Galeni dicatur, qui in libro de Sectis, ſi tamen ipſius eſt, inquit, Ægyptios non pati largas ſanguinis evacuationes. Nos alibi, ſcilicet in Lib. de Medicina Ægyptiorum, diximus, cauſam multi ſanguinis in Ægypto præcipuam eſſe aquam Nili, qua ii ad potum largè, aſſiduèque utuntur, quæ jecur illorum corporum ex calidori cælo calidius quaſcumque venas ſua tenuitate partium permeans, uſque adeo contemperat, ut ad gignendum ſanguinem opportuniſſimum fiat: quam utilitatem in nobiſmet ipſis ibi ex largo, continuoque ejus aquæ potu experti ſumus; de qua re alibi accuratius, ut dictum etiam eſt, egimus. Quemadmodum in iis quoque libris exactiſſimum ſermonem habuimus de variis modis quibus Ægyptii mittunt ſanguinem, quippè de variarum, & venarum, & arteriarum pro miſſione ſanguinis ſectione, de ſcarificationibus malleolorum, deque cucurbitulis apud eam gentem obſervatis. Sed de hac præſervatione, quæ ab evacuatione ſanguinis fit, hæc obiter dicta nobis ſufficiant. De ea vero præſervatione qua illi oculorum probam ſanitatem conſervant, nunc pauca quoque à nobis ſunt dicenda. Sibi ipſis enim de oculorum præſervatione magnam curam habere ſolent, quandò intenſa illiuſce regionis caliditas, pulvereſque ſalſi, & nitroſi, arenæque aliquando ex ventis copioſius illuc delatæ oculos maximè inflammant, atque iis aliàs noxas inducunt. Ad id & domi, & in balneis multa medicamenta ad manus habent. Domi aqua ſimplici, vel ſtillatitia ex herbis frigidis utuntur quavis die oculos abluentes, in ipſoſque largè aquam projicientes: hæc enim & ab oculis pulveres calidos detergendo, & refrigerando maxime ne inflammentur oculi præſtat. Qua oculorum ablutione, qui ſpirantibus ventis auſtrinis (Campſinis vocatis) maximè æſtuoſis, arenaſque copioſas ſummè inflam-

flammatas deferentibus (quo tempore ophthalmiæ innumeræ epidemicæ graſſantur) uſi ſunt, aut nihilo oculi eorum, aut parum læſi fuerunt. In nobis vero metipſis iſtius præſervationis utilitatem, toto illo tempore quo in Ægypto moram traximus, experti ſumus, nunquam enim oculis in ea regione laboravimus. Habent & aquas varias ſtillatitias ex herbis frigidis, quibus eodem modo utuntur. Alii in oculos lac Camelinum, aut Aſininum, aut Humanum, aut iſtorum defectu Caprinum ſæpe (iis flantibus ventis) inſtillant. Sunt, qui oculis inflammari incipientibus ſaccharo in tenuiſſimum pollinem in ipſos injicientes utuntur. Pleriſque vero familiariſſimum eſt, decoctum collyrii modo inſtillatum, quod ex antimonio fit, quod cum ii cognoverint oculos maxime roborando plurimum ad tuendam oculorum, & ſanitatem, & gratiam, & pulchritudinem valere, omni tempore illius uſum ideo ii frequentant, atque etiam ad nigrorem oculis, atque ciliis conciliandum, quomodo olim Matronæ Romanæ, & aliarum Nationum mulieres eo uti conſueverunt. Quo Græcis meritò γυναικεῖον dictum eſt, quod tingendis nigrore ciliis mulierum expetitur, & à Plinio platyophthalmon, quod picturæ nimirum mangonio dilatare oculos quodammodo videatur. Aliàs à nobis dictum eſt, experientia cognitum eſſe, nullam ex Ægyptiis mulieribus inibi vaſculo parvo eo ex antimonio linimento confecto pleno ad uſum oculorum carentem invenias. In Ægypto puerulos oculos albos habentes longo illius linimenti ex antimonio parati uſu, nigrum colorem nanciſci conſtat. In balneis vero ad manus quoque ſua collyria habent od oculorum uſum, quibus utuntur: balneo enim egredientes ferè omnes, palpebras collyrio tingunt, & non modò à balneo, ſed quotidie id faciunt. Proinde multi medici ocularii nuncupantur, cum tamen nihil aliud in eorum officinis vendant, quam collyria, quibus eorum, qui ad eos accedunt palpebras illinant, ad eoſque concurrit multitudo magna. Sunt & mulieres ocularіæ, quæ urbes percurrunt, collyria admoventes, quibus oculos præſervari, tum à lachrymis, tum à flu-

fluxione dicunt. Accedit, quod palpebrarum pilos hoc modo nigros reddentes, quandam oculis gratiam conciliant, præsertim in mulieribus, quæ eo longe formosiores redduntur, quod ut assequantur, nonnullæ etiam collyriis supercilia connectunt: ex multis autem collyriis, quæ sunt in usu frequentissimo, duo referam, ut magis familiaria. Alterum constat ex thuris masculi, & costi, oleique fuligine: alterum vero conficitur, ut nuper dictum est, ex antimonio in tenuissimum pulverem redacto, & cum aliis decocto. Jam hæc de conservanda oculorum sanitate obiter dicta sint: Nunc de eadem ad dentes conservandos pauca à nobis etiam dicenda sunt. Nullum in hac regione, quod mirum maximè est, unquam dentium aliquo affectu correptum vidi, sicut apud nos frequentissimè dentes vitiati, ac læsi nobis occurrunt, idque fit, quod Ægyptii dentium maximam curam gerant: nam à somno surgentes, ubi se laverint; oraverintque, per horam dentes fricant, vel Ban, de quo postea, vel granati, aut ejusmodi ligno, maximè vero quodam Mesuag nuncupato, quod è Mecha afferunt, eorumque prophetæ lignum vocant. Hujus ramuli alterum caput contundunt, aqua macerant, mandunt, molleque reddunt: dein dentes fricant, sicque eos purgant, à dolore, erosione, putredine, carieque præservant, & quominus labantur efficiunt, oris halitum commendant, gingivas roborant, earum erosionem, & fluxionem inhibentes. Multi ad id Faufel ore detinent, quo & Indos adeo suos dentes servare dicunt, ut dentium dolorem India non noverit. In maximo Mechæ delubro ex Mesuag dentifricia quotidie venalia, aquamque in pelvi parant, vanè populo persuadentes, Mehemetem quacumque nocte eo venire, seque lavare, nec non ejus dentes eo ligno fricare. Hæc, atque alia lucri causa fingunt. Verum enim vero hæc dentifricia utilissima sunt, ob causas nuper dictas: sèd de ligno Mesuag postea accuratius. Unum demum non omittam, quod est, quia omnes ibi immoderatius Veneri incumbunt, ut quædam dicamus de iis, quæ illis maximo usui

ſunt, ad venerem ſcilicet in viris promovendam, augendamque ad ſobolis conſervationem.

Caput XI.

De prolificæ facultatis in Viris præſervatione, proindeque de iis, quæ ad augendam Venerem Ægyptiis ſunt familiaria, Medicamentis, agitur.

Non omittendum duxi, quin de iis medicamentis etiam ſcriberetur, quæ eos, qui ad procurandam prolem impotentes, imbecilleſque ſunt, relevant. Hi enim veneri neceſſariò multum indulgent, cumque plures ipſi habeant mulieres, illis ad copioſiorem prolem à lege conceſſas, ipſam venerem omnibus modis ciere ſtudent: ad quam quidem ciendam utuntur aromatibus, oleribus multis, radicibus, fructibus, atque aliis multis medicamentis, & ſimplicibus, & compoſitis: quæ priusquam ſingula referam, decrevi hic tranſcribere, quæ de iis medicamentis quibus frigida venus calefit, ex libro quodam Arabico, qui dicitur Artis Perfectio, à Medico doctiſſimo olim conſcripto, accepi. Ille enim ita ſcribebat. „ Venerem ſtimulant in frigido tempe-
„ ramento, paſtinaca, ſilveſtris eruca, raphanus, eorum ſe-
„ mina, lini ſemina, terebinthi baccæ, apium, & ſemina,
„ ſeſama, cyperus eſculentus, faba, cicer, faſeolus cum cin-
„ namomo, macis, nuclei pinei, avellana, piſtacia, traga-
„ cantha, aſſa, quæ calida eſt, & inflat, ejuſque ſeſqui-
„ drachma ex vino ſummopere prodeſt. Utrumque ben, ſci-
„ licet album, & rubrum, coſtus, ſatyrium, ſcincus, gingi-
„ ber, præſertim melle conditum, galanga, buzeidan, her-
„ modactylus, mogad, ſcinci cauda, renes, & ſal, colum-
„ barum, paſſerum, & perdicum ova, ova gallinacea ſor-
„ bilia cum gingibere, tauri virga arida cum luteo ovi ſor-
„ bilis,

„ bilis, aut cum carne cocta, omnia cerebella, præſertim
„ paſſerum, gallinarum, anatum, & ejuſmodi cum ſcinci ſa-
„ le, Cameli lactentis coagulum ciceris quantitate ex aqua tepi-
„ da maximè ſubvenit, quod ſi lædat, aqua frigida lavetur. In
„ temperamento temperato, lac concretum decoctione, atque
„ quotidie ad cyathum epotum, aqua mellis in qua ferrum
„ candens fuerit extinctum, uvaque recens, erucæ ſuccus
„ cum vino dorſum validum reddit, illicoque ſubvenit. Paſ-
„ ſerum aſſiduo uſu, & lactis potu aquæ loco ſemper viget
„ libido, ſemenque augetur. Ex compoſitis vero, Mithri-
„ datum, diamoſchus, atque quatuor cum dimidia drach-
„ mæ confectionis ex ſeminum erucæ, aqua medicamentum
„ de ſcincis, atque Philoſophorum electuarium locum habet.
„ In cibis erit caro arietis, ciceres, cæpæ, triticum, rhye-
„ mata, faba vel ſola, vel cum ſeminibus, vel cum cinna-
„ momo, & galanga, ſcinci ſale, & gingibere. Præſtat hæ-
„ dus mas pinguis, nec non gallinæ, & pulli pingues. O-
„ ryza cum lacte, & præſertim cum carne, caro cum a-
„ ſparagis, porra, ova ſorbilia, piſces recentes. In tempe-
„ ramento calido, utilis erit cucumis, chetta, perſicus, lac,
„ cancri fluviatiles, uvæque recentes. Ab acidis, & acri-
„ bus, ut acetum, abſtineant, & ſalſis, & à ſtupefacienti-
„ bus, ut lactuca. Menta, ſeminis vaſa roborat, atque ſti-
„ mulos addit. Fructus erunt piſtacia, avellana, radicula
„ cyperi eſculenti, vel dulcis, nuclei pinei, ſemina paſti-
„ nacæ, & erucæ ex oleo frixa addito melle, quod ſat ſit,
„ atque erucæ electuarium præſtantiſſimum eſt. Cervi ge-
„ nitale in pulverem tritum, caryophilla in lacte, dauci ſe-
„ mina, vitis nigræ radix, id eſt uva taminia Plinii, hor-
„ minum, gladioli radix ſuperior, aſphodeli itidem radix,
„ dracunculique majoris radix. Potum ſit vinum ex paſſis,
„ & vinum novum dulce. Sumatur itidem paſtinaca, eru-
„ ca, ficus, napus, coquaturia aqua, quorum decocti pars
„ una ſumatur, atque vini ex paſſis pars ſaccharo miſceatur,
„ & aſſumatur. Inungatur pecten, & genitale, ejuſque ra-
„ dix oleo balanino, liliorum alborum, & ſambacino, nucis

 „ my-

„ myriſticæ, Indicæque oleo, nec non cicino cum moſcho, „ vel zibetho, oleove ſinapino, cum benzuino, vel oleo pi„ ſtaciorum, & ſimilibus. Ex medicamentis itidem vene„ rem moventibus fiunt clyſteres, & balani, qui magnæ ſunt „ utilitati. Nam ex Columbi adipe ſuppoſitorium mirificè „ eos juvat: fit vero clyſter hoc modo. Paſſerum caput, „ & pedes, & triticum, partes æquales ſumantur, mogad, „ buzeidan, ſcincus, & ſemen nuclei pinei quarta pars, co„ quantur per noctem in furno, quoad diſſolvantur, quibus „ addatur lac, & butyrum, nec non renum ſcinci adeps, „ oleumque de ſpica, & fiat clyſter. Quod ſi veneris de„ fectus fuerit ob genitalis debilitatem, ſi in calidam aquam „ injectum, & moratum aliquandiu roboretur, moveaturque, „ ſpes erit ut curetur oleis prædictis, ſin autem in aqua „ non moveatur, curationem non admittet. „ Hæc liber qui dicitur Artis Perfectio habet: quibus profecto nos ſubjungemus, quæ hac noſtra ætate Ægyptiis ad movendam Venerem ſunt in frequenti, familiarique uſu. Itaque inter aromata illis uſui eſt, gingiber conditum, caryophylla, zedoaria, zurambet, piperque condita, nec ſecus nux Indica, nux myriſtica, mirobalani omnes conditi, maximè autem Bellerici vocati, radicis chinæ conſerva ex melle, galanga, & multa alia condita, quibus abundant Ægyptii, maximè autem mercatores, ad quos hæc omnia per Mare Rubrum Liburnicis ab eorum procuratoribus gratis mittuntur. Inter domeſtica vero ad eum uſum commendantur, eruca, bulbus, Belbus vocatus, ſatyrium, urtica, buzeidam, paſtinaca, loti radices, Rais el nil vocatæ, ſecacul, ſeſamum, quo ſummopere delectantur. Oryza cum lacte, piſtacia, nuclei pinei, napæ, rapæ, ciceres, mala inſana, & fructus caſtaneis ſimiles, qui ex Nubibus afferuntur, ipſosque ad id plurimi faciunt. Inter animalia vero, ut alia omnibus nota omittamus, ſcincus laudibus multis concelebratur, de quo ſuo loco nos accuratius, & crocodili caro, quam ſummopere extollunt, ipſamque vires recreare, totumque corpus, & dorſum roborare, afferunt, idque vel ſemel comeſtam præſtare. Ex compoſi-

tis

tis etiam omnia de quibus Avicenna Lib. quinto ad eum usum meminit, scilicet tripheræ variæ compositiones, Theriaca magna, atque Mithridatium, electuarium philosophorum, quod Magion el Fileſefe. Illis vero ad id communissimum est Bernavi electuarium vocatum: Quo nihil præstantius ad Deam opiparam refovendam, infectandamque Mauritanorum schola invenit. Philonium, & Persicum, & Græcorum in usu quoque eo est, Opium, Bers, atque Assis. Et quemadmodum innumeræ sunt officinæ, quæ nihil aliud vendunt, nisi horum unum, vel plura, sic non desunt medicorum sectæ, & aliorum, qui hoc magis, quam illud laudent. Inter antidota vero, quæ omnibus sunt maximè familiaria, Theriaca magna, atque Mithridatium existit; quæ tamen magna fraude componunt, multisque modis. Etenim pro Regibus exactissimè eas componentes, optimis, omnibusque singulis ingredientibus simplicibus medicamentis, ea perficiunt. Pro plebe vero minuta alia componunt, magno cum simplicium eam perficientium defectu. Theriaca vero, de qua compositione in quinto Libro de Medicina Ægyptiorum ultimæ editionis nos exactissimè scripsimus: omnibus numeris absoluta Cairi paratur à viro peritissimo, & doctissimo Seridim nominè, cui mortuo successit Mahemet Ebneferidim, utpote suus filius: hic enim omnia simplicia medicamenta habet. Ex hac Theriaca Morat, hodie Turcarum Imperator, modicum quotidie assumit, qui quandoque & Bers comedit, quamvis epilepsia laboret. Qui Magion el Fileſefe utuntur, optimè vivunt, inculpataque valetudine fruuntur, nec secus, qui Theriaca, Mithridato, atque Tripheris. At qui Opium assumunt (multi enim sunt, qui per sexaginta annos quotidie usque ad drachmas duas comederunt) tandem atrophia laborant, eorum concoctio depravatur, ventriculus labefactatur, calor naturalis ferè extinguitur, dormitabundi fiunt, facile obliviscuntur, inconstantes sunt, cogitabundi, quod promittunt, minimè facientes. Eorum os fere semper ad partes trahitur, ut eos oris convulsione, aut tortura laborare dicas. Eorum alvus sæpè sistitur, ut clysteribus uti necesse habeant. Qui vero Philonio delectantur, quod va-

riè componunt, dum ipſum in corpore ejus vires prodit, multa loquuntur, facetiis, & leporibus, venuſtateque affluunt, legunt, ſcribunt, laborem non ſentiunt, aſſurgunt, ſedent, moventur, quamvis ſenes ſe robuſtiores, & leviores, magisque agiles evaſiſſe ſibi videntur: omnia pollicentur, ab iis omnia impetres, ut quidam Gemmarii, in eos philonio agente, ſæpe gemmas noſtris minori pretio, quam ſtarent, vendiderint. Alii, eo veluti temulenti, Servos manumittunt ſcripto, cujus Philonii vis ubi evanuerit, ſe id feciſſe, & jurejurando perjuriovè negant, eosque iterum vendunt, quod ſæpe eveniſſe in illis vidimus. Bernavi, & Aſſis utentes, ſicuti pejus ſe habent, quam qui Theriacæ, & Mithridatio ſe dant, ſic minora incommoda ſentiunt, quam qui Philonium aſſumunt. At omnes in eo antecellunt, quod majora oblectamenta capiunt: nam lætitia hi ſumma afficiuntur, ad venerem non modo concitantur, ſed & robuſtiores fiunt, per quatuor horas ſe in amæniſſimo loco eſſe ſibi videntur, pulcherrima pomeria, prata, viretaque vident, eorum oculis & menti obverſantur viſa, ſpectra, phaſmata, phantaſiæ, & omnia fere quæ per ſomnum videri ſolent, ſicuti ſomnium, inſomniumve iis oraculum videtur. Cum Angelis ſe loqui dicunt, multasque, & varias rerum imagines ſe videre affirmant, quæ non recenſeo. Hinc amplam occaſionem Mahemetem nactum fuiſſe ferunt, qui ab ineunte ætate huic electuario aſſuetus erat, quo tempore primum in uſu venit, ut & prophetam eſſe, & ſe cum Diis loqui Arabibus perſuaderet, cum id & nonnulli ejus domeſtici, quibus fidebat, hoc aſſumentes, in ſe ipſis experirentur, id ſibi evenire cenſebant, quod eos diligeret Deus, ut prophetæ ſocios. At poſtmodum cum id innotuiſſet, eſſetque in communi conſuetudine, factum eſt, ut à plerisque doctoribus non modo non credatur propheta, ſed prorſus nullam ei fidem habeant, quamvis id facere ſimulent, aut metu, aut fortunæ bonis, quæ iis eorum ſectæ credulitas affert. Non ab re autem eſſe duxi, dicere quid ſit Bernavi & Aſſis, &, quia Aſſis Bernavi iſtius electuarii eſt præcipua baſis, de Aſſis ideo primum dicendum puto. Aſſis igitur nomen

men ad omnem herbam genericum eſt: verum cum herba hæc adeo ab omnibus propter ipſius vim eximiam, & non parum admirandam expetatur, celebrisque apud eas gentes ſit, per quandam veluti antonomaſiam generis nomine dicta eſt. Alii vero eam Cheles etiam nuncupant. Hæc vero, ut ex plantis quid ſit intelligatur, à nobis canapis fœmina eſſe viſa eſt, de qua poſtea longe accuratius agemus, & an ſit canapis diſputabimus. Ex hac inquam herba, ideſt foliis ejus ſiccatis, & in pulverem detritis Bernavi electuarium componunt, variè tamen pro aromatum varietate, & pondere, quæ in eo ad libitum injiciuntur. In communi uſu parata, fit hoc modo, accipiendo aſſis pulverizatæ ʒv. piperis nigri, albi, longi, ana ʒv. pyrethri ʒiij. croci ʒij. calami aromatici ʒj. galangæ ʒv. Mellis depurati q. 1. cum vino aromatico fit electuarium: cujus doſis eſt à ʒij. ad ʒiiij. Quidam addunt & caſtorei ʒij. alii euphorbii modicum, atque alii alia. Plurimi Aſſis ſola herba utuntur tenuiſſimè trita, deglutitaque, aut ex ſimplici aqua ſubacta. Arabumque ritus eſt, ut eo modo ipſam aſſumant. Qui hanc ipſam ſumunt, ſemper colore citrino conſpiciuntur, eorumque oculi vivido colore deſtituti: ut plurimum graciles ſunt, ſenectutem accelerant, & canitiem. Quod de iis dixi, idem & de Bers ſentiendum eſt. Quod recipit euphorbii ʒxx. maſticis ʒx. ſpicæ Indæ ʒxxx. piperis ʒc. pirethri ʒxv. Apii, hyorcyami albi ana ʒlx. caſtorei ʒxv. his pulverizatis ex melle deſpumato cum vino odorato mixtis paratur electuarium, quo utuntur Turcæ in regionibus frigidis, & in Ægypto Mauri hyemis tempore. Iis vero, qui Opio, Philonio, Aſſis, Bernavi, atque Bers aſſueti ſunt, nunquam ea intermittere poterunt, quod ſi aliquando faciant, in magna, ſævaque ſymptomata, & vitæ periculum incurrunt. Johannes Jacobus Manus, olim Medicus in Ægypto apud Venetam Nationem maximè celebris (ex cujus viri relatione multa quidem alia accepimus) retulit duos, qui ab intermiſſo Opio in ſæviſſima ſymptomata incurrerunt. Alter (inquit) nauclerus fuit, cui cum Cairum iter habenti, Opium, cui aſſueverat, defeciſſet

ſuper

ſuper Nilum, horaque qua illud aſſumere ſolebat, adventaret, nempe à ſolis ortu, primum ventriculi languore corripiebatur, deinde animi deliquio, & ſudore frigido, tandemque vox ei intercipiebatur, cumque per aliquod ſpacium male ſe habuiſſet, neque merum, aut quid ſimile eorum, quæ ad manum in navigio erant, ei opem ferret, in aquam, ut furens ſe conjecit, atque tranans per deſerta fugam arripuit, liburnicam linquens, nobisque non parvum metum incutiens, verentibus ne inde Turcis locus eſſet nos culpandi, atque ejus mortis culpam omnem in nos transferrent: quod ſæpiſſimè ii absque ulla cauſa ita nobis inſidias ſtruere ſoleant. Alter autem, Camelorum ductor, & viam præmonſtrans, qui cum in Arabia Deſerta in via, quæ Hieroſolymam ducit, Philoneo careret, quia totum illud quod ſecum tulerat conſumſerat, de Camelo decidit, neque pes, aut manus ſatis ſuum officium faciebat, graviſſimis ſymptomatibus vexabatur, ambulareque minime poterat, neque equo inſidere, ut ejus ſocii, ne feris præda eſſet, ipſum ſuper Camelum, ut furentem vincire coacti fuerint. At ſtatim recreatus ubi opiati electuarii conſueti aſſumendi fuit poteſtas. Alii rurſus fuere, qui cum ejuſmodi medicamenta intermittere, & eum uſum prorſus relinquere ſibi propoſuiſſent, morte immatura perempti ſunt. Qui Theriacæ uſui indulgent, Tharachì, qui Opio delectantur Affiunì, qui Aſſis, Aſsì dicuntur, & ſic de aliis. Nos vero quoſdam ab hac Opii ſervitute liberavimus, per plures dies illa hora qua opiatum medicamentum aſſumebant, vinum merum antiquum, præſertim Creticum cum pipere, zinzibere, atque aliis aromatibus ebullitum, largius exhibentes, atque ad minus quater in die repetentes. Atque hæc de iis, quæ ad prolem augendam venereos actus movent, atque roborant, & ad deliramenta quibus illa gens non minus oblectari ſolet, plurimum faciunt.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIUS.

Caput I.

De tractandis in hoc tertio Libro, & primum de Terris, quas Ægyptus producit.

Universa Ægypti terra est nitrosa, nimirum quæ nimio calore solis quasi usta; minus verò quæ juxta Nilum; eaque maximè limosa, nigra, quæ fluminis inundatione unà in Ægyptum defertur: quaque Ægypti solum, ut Herodoto, atque aliis visum est, à suis primordiis humillimum quotannis à flumine ità auctum est, ut Nilus in agros modò exundare nequeat, nisi decem & octo cubitibus creverit. Hæc inquam, quæ ab eo flumine per æstatem aucto in eam provinciam devehitur, ut dixi, limosa est, mollis, nigra, ita pinguis, ut ea quasi oleosum quiddam exsudare videatur, saporeque obdulcescat. Ea inibi agri ita pinguefiunt, ut stercoratione non egeant: stercora enim animalium, boumque præsertim, subigunt, in placentasque formant, ad solem siccant, atque per urbem ad usum ignis vendunt, cum Ægyptus lignis non abundet. Hanc inquam terram siccatam Ægyptii reponunt, pro exploranda Nili fluminis auctione, quæ fit mense Junio, uti superius dictum est: ipsam singulis diebus bis, terque expendentes, lanceque ponderantes, & principium augmenti Nili fluminis animadvertunt, & quantum ejus incrementum futurum sit, cognoscunt. Hæc, etsi frigida sit, & sicca, tamen à quadam sibi mixta aerea pingui substantia minus refrigerat, & siccat, cum quadam molliendi facultate. Altera terra in Ægypto est nitrosa, & salsa, utpotè quæ longè à Nilo abest, squalens, sicca, arenis mixta,

quæ plurimum ſalis, & nitri exſudat. Habent Agricolæ ſuam terram pinguiſſimam à pinguiſſimo limo, qui quotannis à Nilo in ſuo incremento deducitur, effectam: quam margam Ægyptiorum eſſe conſtat, ex qua Ægyptium ſolum ad ſegetum productionem adeo fœcundum fit, ut propterea nullibi locorum agri ad frugum abundantiam fertiliores exiſtant. Habent varias quoque inibi argillas, quibus fictilia varia parant, lapides lateritios, quibus ſole ſiccatis utuntur ad muros conficiendos pro ædium multarum fulcimento, ex qua etiam viliori argilla muros cæmenti loco exædificant, qui multis ævis illæſi durant. Nec non cretis diverſis fullones ad veſtium, atque aliarum rerum deterſionem, & circumlinitionem in ea regione abundant; iisdemque & medici utuntur ad uſum medicinæ. Vaſa verò in quibus aquam refrigerant Ægyptii, ut ſupeus quoque dictum eſt, ex terra alba, & nitro ſubactis parant, in illisque ipſam aquam continuè bibunt. Quemadmodum in Syria, ut à Syris accepimus, eadem fictilia ex terra alba itidem, atque ſale conficiunt. Nitrum vero, & ſal ad aquæ refrigerationem facere dicunt, quod hæc reddant vaſa rara, ſicque frigido aëri ingreſſus ex raritate illiuſce materiæ pateat, ſed aliis viſum eſt in iis vaſis per antiperiſtaſim aquam refrigerari, quod nimirum frigiditas ad centrum aquæ retrahatur, à nitri nimirum qualitate calida fugiendo ſeſe ad aquæ centrum recipiat. Atque hinc fortaſſe fit, ut illorum vaſorum etiam ſoli expoſitorum aqua refrigeretur. Ex villa, quam Chſagbut appellant, haud procul ab Heliopoli poſita, convehunt terram ibi effoſſam colore rubro pallido, adeo odoriferam, ut conficiendis fictilibus utiliſſima, & omnibus jucundiſſima ſit. Ex qua Ægyptii figuli cum nitro fictilia multa parant, præſertimque vaſa potatoria multarum figurarum. Inter multas vero terras, quibus Ægyptus abundat, quandam habent admodum ad uſum mulierum familiarem, quam Beilon nuncupant. Magnis glebis viſitur, gravis, friabilis, ad argillam accedens, atque colore flaveſcente, aliquantulum ad ochram declinans, guſtui lenteſcit, non expers alicujus qualitatis calidæ, quo merito deterſoria eſt, cum vi em-

emplaſtica. Mulieres in balneo hac terra trita, & aqua ſubacta capillos illinunt, & obvolvunt, ſæpè illos manibus tractantes, ut in pannis fit à fullonibus detergendis, mundandisque, poſteaque cum fere per horam caput ea terra fricarint, & capillos ſæpiſſimè manibus contrectarint, eos calida aqua detergentes, caput lavant. Hæc terra capillos maximè detergit, flavos colore efficit, firmat, atque longos itidem reddit. Eſt & altera terra, quam inibi effodiunt, quæ cinerei eſt coloris, levis, lubrica, ſplendens, atque guſtui molliſſima, quæ ſapore, & odore Lemniam imitatur, viſu vero ſaponem æmulari prorſus videtur, non minusque lubricitate: unde & ipſi ea ad linteamina dealbanda Ægyptii utuntur ſaponis loco, & in medicinæ uſu ad multos morbos tollendos ab iis non negligitur, præſertimque ad ſanguinis ſputum, & ad quodcumque aliud ſanguinis profluvium cohibendum, non minus & ad ſudores immoderatos firmandos. Ad oculorum lachrymationem itidem collyria parantur ex ea utiliſſima: hanc terram credimus eſſe lapidem Morochtum à Dioſcoride vocatum; lapidem à lapidis figura, & conſiſtentia, quamvis terra quædam ſit argillarum genere comprehenſa. Habent Ægyptii terram Lemniam ſigillatam, bollum Armenium, Samiam, Erythræam & albam, & purpuream, nec non ad uſum venenorum, & venenatorum morſuum lapidem bezahar, ac vel etiam unicornu non carent. Vaſa quædam vidimus è lapidibus bezahar ad Regios uſus confecta, quæ in magno pretio apud eos ſunt, & ad venenorum præſervationem, atque in peſte, & in peſtiferis febribus plurimi æſtimantur, ſi in ipſis antidota, vel aquas, vel ſuccos ad eos morbos abigendos accommodatos bibant. Hæc vero ex Orientali India habent. At de his fortaſſe nos poſtea etiam diligentius.

Caput II.

De Sale in ſolo Ægyptiaco proveniente, atque de nitro.

Sale optimo, candido, ut nix, omnium profecto ſalium præſtantiſſimo Ægyptus abundat, non foſſili, non marino, ſed qui in terræ illuſce ſuperficie concreſcit. Nos enim menſe Julio è Raſſit Cairum navigantes univerſam eam planiciem ſale copioſiſſimo, candidiſſimoque conſperſam, ac veluti obrutam conſpeximus, proinde ac in Italia quodam tempore, hyeme, nive copioſa à cœlo cadente, terra obruta apparere ſolet. Ruſtici eum colligentes in acervum componunt, qui ita vili venditur, ut cuique inde impune accipere liceat. Servus à ſupellectili noſtri Conſulis, plures ſportas eo ſale plenas in cymbam pro uſu domus gratis accepit, ſecumque Cairum detulit. Gignitur vero tanta ſalis copia à terra, quæ per ſummos æſtatis calores à ſole inſigniter eam adurente, ità ſalſa efficitur, ut poſtea ex Nilo aqua ipſam inundante, liquefiat, & ſolvatur, quæ ita liquata, & ſoluta, ſuperveniente poſtea æſtatis calore, eam cogente, ſiccanteque, in ſal mutatur, candidiſſimum, tenuiſſimum, optimumque, quo Ægyptii in victu utuntur. Nitrum, quod Arabes Natron vocant, copioſum in Ægypto effoditur, ubi tanto eſt uſui, adeoque ad multos uſus tam medicos, quam alios, præſertim in telis dealbandis ab ea gente affectatur, ut ſingulis annis centum millibus aureorum nitrum vendat ille Arabs, qui parti Ægypti præeſt, quam Nilus ejus vadum alluens à ſiniſtra relinquit. Ibi tercentum & ſexaginta Villæ ſunt, pro quibus in annum tercentum ſexaginta millia ſeſtercia Turcarum Imperatori ſolvit: inter illas duæ ſunt maximæ, quarum alteram Demenor, atque alteram Laux nuncupant, in qua Arabs princeps habitat. Ex hoc loco

bidui

bidui itinere in Deſerto eſt lacus aquæ ſtagnantis, in quem lacum quicquid conjicitur, ſivè lignum, ſivè animal mortuum ſivè aliud, ſiccatur, atque in nitrum convertitur. Nitrum vero quotidie quindecim homines effodiunt, & in fruſta ferramentis frangunt, & dividunt in parvas glebas, quod quidem nitrum erutum, in glebaſque redactum, quinquaginta camelis, nihil aliud portantibus, ad Villam ſupradictam defertur, exindeque liburnicis Cairum vehitur. Ejus duo ſunt genera, unum roſei coloris, grave, gleboſum, durum; alterumque album, atque leve. Primum Sultanì nuncupant, ſecundum Laſultanì: primum ſecundo præferunt, quod citius, cariusque venditur: atque ut plurimum Cairi ejus uſus eſt. Laſultanì vero dictum in Syriam, Heliopolim, & Damaſcum defertur. Centum libras optimi, aureo vendunt, alterum dimidio ejus dant. Nitrum itaque quod ibi eruitur, magna gleba eſt, lapidi non diſſimilis, minus tamen gravis, aut albicans, aut roſei coloris, omnis ſalis modo nitens, ſapore ſalſo acri, in amarum deſinente. Roſeum, & ſalſius, & acrius, & amarius albo eſt, unde &, quod pertinet ad qualitatem calidam, & ſubſtantiam, & calidius, & ſubſtantia eſſentiave tenuius eſt. Tractu temporis circum ipſum exſudat veluti farina alba, quam ſpumam nitri appellant. Cæterum nonnulli dubitarunt, an hoc genus nitri veteres cognoverint, cum ipſorum nitrum, non ſalſum, ſed amarum ſolummodo fuiſſe conſtet. Siquidem per nitroſum ſaporem amarum intellexerint & Theophraſtus, & Plato, & Galenus. Hi enim omnes ſapores ſeptem numero eſſe voluerunt, quippè dulcem, acrem, ſalſum, amarum, acidum, auſterum, atque acerbum, per amarum nitroſum intelligentes. Idem, & Galenum ſenſiſſe conſtat, ſcilicet per amarum nitroſum intelligi voluiſſe, præſertimque in Lib. tertio Simplicium cum dixerit: „Quibus ſapor aut acris, aut nitroſus, aut ſalſus.„ Quibus quidem dubitari poteſt Ægyptium nitrum, cum ſit ſalſum, acre, atque amareſcens ſimul, an ſit antiquorum nitrum. Verum enim vero iſti minimè de Ægyptiaco nitro dubitare debent, quod propterea antiquorum non ſit, nimirum ſapore præditum mix-

In primo Simpl. Cap. 36. *Cap.* 15.

to ex ſalſo, acri, atque amaro; cum apertiſſimè conſtet, ſaporem, nitroſum vocatum, non eſſe ex ſimplicibus, ſed ex compoſitis ſaporibus, qui ex ſalſo, acri, atque amaro conſtat. Qua ratione Plato, Theophraſtus, Galenus, atque alii, qui tantùm ſeptem numero ſapores eſſe docuerunt, ſimplices ſolummodo intelligi voluerunt, &, ne verbum quidem de nitroſo, quod eſſet compoſitus, dixerunt, veluti nec etiam de acetoſo, & pingui, quod & ipſi ſint compoſiti. Eſt itaque ſapor nitri meritò mixtus ex ſapore ſalſo, acri, atque amaro. Quam veritatem ex Galeno confirmamus, qui Betam, & Braſſicam nitroſam eſſe tradidit: harum enim herbarum ſapor mixtus eſt ex iis tribus ſaporibus, quippè ex ſalſedine, acrimonia, & amaritudine. Ita & in nitro Ægyptio primum ſalſedo guſtu ſentitur, mox acrimonia, atque demum manifeſta amaritudo. Eo utuntur Ægyptii & ad telas dealbandas, atque ad carnes tardioris coctura citius concoquendas, atque ad frictionum, pro evocandis ad cutem malignis humoribus, uſum. Quod & ipſum in puerorum variolis, malignisque exanthematibus, & in aliis in ſatis frequenti uſu habent; atque non minus etiam ad alios uſus, quos ſuperius diximus.

In 8. Simpl.

Caput III.

De Lapidibus Ægypti.

Si de Lapidibus inſignem duritiem habentibus, qui tamen inciduntur, & perpoliti nitorem habent, Marmora Lapidarii appellant, ſermo fiat, profecto Ægyptus marmoribus cujusque coloris maximè abundat. Ex candidis primò copioſius fert Alabaſtritem vocatum, & eum qui marmoream habet duritiem, & qui fragilis eſt, quique inter Gypſa potius reponi debet: etſi Alabaſtrites uterque, & durus ſcilicet & fragilis ex loco Ægypti circa Thebas Alabaſtrite olim vocato,

to, nomen invenerit, ſcilicet candidus ſed varius, ad unguis colorem inclinans, unde ab aliquibus onyx dictus eſt, Thebani montes abundant, & eo qui mellei coloris eſt, maculoſi, non translucidi. Ex hoc præſertim vaſa parantur, in quibus, & Nobiles Ægyptii, & pharmacopolæ medicamenta compoſita conſervant. Habent hujusmodi Lapides ſuos uſus ad medicinam, qui Ægyptiis ſunt familiares: diſſolvunt illos ſucco Limonum in tenuiſſimum pollinem, & utuntur cum ovi albo ad Jecoris calidam intemperiem, & ad renum inflammationem compeſcendam, maximè vero ad partium contuſiones ſanandas. Habent, & nigerrimi coloris lapides, qui perpoliti maximè nitent, quales Alalandici dicebantur, inter quos habent optimos Chryſites, quibus aurum, argentumque examinant. Ex Numidia habent, & lividum duriſſimum, atque ex Æthiopia duriſſimum ferrei coloris, quo olim pro incude utebantur: Spectantur ibi & mixti ex colore nigro, & albo, ſed Ægypti videtur magis proprius qui niger maculis lividis infectus viſitur. Virides quoque multi in ea regione gignuntur, quique colore Jaſpidem imitantur, & qui in colore viridi maculas habent rubentes, veluti ſanguinem fuſum æmulantes, atque etiam virides totos translucidos punctis ſanguineis infectos, heliotropium lapidem planè imitantes. Porphyrites, vulgo Porfidum vocatum, in Ægypto copioſius reperitur, præſertimque qui rubet candidis intercurſantibus punctis, vel maculoſis. Habetur etiam rubens cum maculis nigris ex Syene Thebaidis convectus: ex hoc quidem lapide omnes obeliſci, qui & Cairi, & Alexandriæ ſunt, extiterunt, non minus & Columnæ marmoreæ, quæ & Alexandriæ, & Cairi extant, ex iſto lapide ſculptæ fuerunt, maximèque ex columnis illa maxima quam Pompeji columnam vocant in medio urbis Alexandriæ poſita, atque ſepulcrum, ſeu Arca, in majori pyramide poſita. Ibi quoque viſitur rubens punctis aureis infectus ex Thebaide itidem convectus: atque tales lapides marmorei in Ægypto obſervantur. At de gemmis, quæ ibi viſuntur, pauca quoque dicamus, à Smaragdis exordientes.

C A-

Caput IV.

De Smaragdis, qui in Ægypto naſcuntur.

In Ægypto omnes gemmarum ſpecies copioſius inveniuntur, majori ex parte ex orientalis Indiæ locis delatæ, aliquot vero in hac regione naſcuntur, quippe Smaragdi præſtantiſſimi, Chryſolitæ, Chryſopraſſi, Heliotropii, Jaſpides, Cyanei lapides, atque alii. Quod Smaragdi pretioſiſſimi omnium in Ægypti provincia Gait vocata effodiantur, omnibus, qui Ægyptum habitant notiſſimum eſt. Itaque in Gait, ſub Ægyto meridiem verſus poſita provincia, vel regno, ubi olim Inarum regnaſſe ferunt, Smaragdorum puteus eſt, quem Bir el Smerud vocant, in quo quotidie pro Turcarum Imperatore fodiuntur Smaragdi, &, quamvis foſſores ſummo ſtudio obſerventur, ne lapillos hos pretioſos ſuffurentur, tamen adeo vafri, & callidi ſunt, ut ſæpe præſtantiſſimos lapides occultent, quos noſtris mercatoribus vendunt. In eo puteo, quo tempore Meſſir Baſſa Pro-rex in Ægypto fuit, Smaragdus pulcherrimus, quatuor ſupra triginta drachmarum pondere, inventus eſt, ad eximiam perfectionem, & commendationem accedens, quem ſæpius Ægypti Pro-rex Clariſſimis Conſulibus Venetis, illic pro Veneta Natione morantibus, oſtendit, cujus Smaragdi pretium, ſi nunc in pretio ita eſſent hi lapides ſicuti antea fuiſſe conſtat, quatuorcentum mille aureis nummis procul dubio æſtimaretur. Ex Smaragdo confecta vaſa ferè innumera, & varia inveniuntur apud Turcarum Regem, nonnullaque pulcherrima, anno eo, quo Cairum venimus ad ipſum Pro-regem ex Ægypto, à quodam ejus Præſide, ex regia ſtirpe oriundo, delata ſunt qui diu Thebarum provinciæ præfuit, atque apud hunc ea fuit Smaragdorum copia, quæ fidem ſuperet, eamque aliqui ex noſtris mecum una viderunt. Ægyptii, Ara-

Arabesque ipſum vocant Smerud, non autem, ut perperam Garcias ab Ortu credidit, Zamarut. Hujuſce gemmæ haud probam is cognitionem habuiſſe viſus eſt, præſertim cum ſcripſerit, Smaragdorum locum natalem ex quo effodiuntur vix cognoſci, nullis fragmentis remanentibus: cum notiſſimum omnibus Ægyptiis ſit, Smaragdorum verum natale puteum eſſe, in regno Gait vocato, ſub Ægypto, quem, ut dictum quoque eſt, Bir el Smerud appellant. Atque etiam quòd apud Mauros quamplurimi reperiuntur Smaragdi, nedum fragmenta, quæ minimi precii ſunt, ſed plurimo pretio æſtimati Smaragdi. Veruntamen unum, quòd animadvertit, non eſt ad medicamentorum uſum negligendum, ſcilicet eos errare, qui in compoſitione electuarii de Gemmis, ex Meſues mente, Smaragdum præſcribi putant: cum Meſue Ferure habeat, & non Smerud, ut Jacobus etiam Mannus auctor eſt: per Ferure vero Arabes lapidem Cyaneum intelligunt, non autem Smaragdum, quem, ut dixi, Smerud vocant. In iisdem locis, in quibus Smaragdi effodiuntur, Chryſopraſi, & Chryſolitæ abundantius inveniuntur.

Caput V.

De Vaſis Murrhinis, & variis Conchiliorum generibus.

Ægyptii vaſa aurea, & argentea rejecerunt, ubi Murrhina vaſa adinvenere, quæ ex India afferuntur, (neque enim in Ægypto, ut perperam Petrus Bellonius credidiſſe viſus eſt, quædam illorum fiunt) ex ea præſertim regione, quam Sivì vocant. Ibi enim ex variis (ut multi mercatores affirmant) lapidibus conficiuntur, gemmarum genere comprehenſis, maximeque ex variis Jaſpidibus. Namque ex iis, atque aliis ſimul mixtis materiam parari ajunt, ex qua vaſa

hæc fiunt. Antonius Pigafeta in Narrationibus ſuæ navigationis ad inſulas Molucas, ſcribit, ea vaſa fieri ex terra alba, ſpacio quinquaginta annorum ſub terra excocta, atque præparata, ſed &, ut probè apta reddatur, ſepeliunt in terra, & in ipſa terra obruta centum, & pluribus annis, ut purior efficiatur, à calore concoqui ſinunt: meritoque hæc vaſa omnibus aureis, argenteisque præferuntur vaſis, tum quod mundiſſima ſint, nunquamque inquinentur, tum quod vim quandam obtineant & cor roborandi, & venenis reſiſtendi, cum ex materia conſtent, quæ eſt antidotus ex occulta facultate ad omnia venena. Etſi hæc vaſa varii ſint coloris, in pretio tamen majori habentur alba ex toto tranſparentia. Quæ non ità ſunt perfecta, ſolent variis coloribus infici, atque ornari. Quædamque ex iis præſtantiſſima ibi reperiuntur, quibus utuntur Reges, & Primates, adeoque magni fiunt hæc à Mauris, ut plures ibi periti inveniantur, qui & fracta reſarciant, eaque arte ibi vivant. Abundat Ægyptus ex Rubro Mare variis Conchiliorum generibus, & præter Margaritiferas, quibusdam Margaritiferis longè majoribus, & ex omni parte amplioribus, materia, lapidea duricie, intus candida, & translucida, colore, & ſubſtantia vaſis Murrhinis ſimili. Ex iis torno varia vaſa fiunt, quibus perindè ac Murrhinis utuntur: ex iis quoque innumera ſanè cujusque generis, in magna copia à multis exinde in Italiam convehuntur, ad eos qui in hortis, fontibus, atque caveis agreſtibus delectantur.

Caput VI.

De Lapidibus aliis quibus Ægyptus abundat.

Occurrunt in Ægypti Montibus Silices omnis generis, & albi, & nigri, & alterius coloris, qui ſunt in uſu ad ignem excutiendum, at inter hos eſt Silex Silvifera, in quo lapi-



1



2



3



4

5



6



7

lapide ſilvæ, herbarum, fruticum, atque arborum variarum quaſi pictæ imagines cernuntur, proindeque omnibus ſunt amæniſſimi aſpectus. Varii item Jaſpides cujusque generis ibi naſcuntur, atque ii præſertim nobiliſſimi tota ſubſtantia translucidi, amæniter cum punctis ſanguineis tota ſubſtantia virentes. Hos vulgus Gemmariorum Heliotropios appellat, in magnoque pretio apud omnes habentur, Magosque maxime, qui iis ſuperſtitiosè utuntur. Inter Jaſpides, quibus Ægyptus maximè abundat, eſt parvus lapillus, viridis coloris nigreſcentis, totus lineis multis inæqualibus albicantibus infectus, unde ab iis maculis, plures Lapidem Serpentinum appellarunt, vel ex eo, quòd hic lapillus ſucco limonis tinctus, ſpontè ſerpentis inſtar hinc inde moveatur. Quod experimentum ex me Melchior Guilandinus olim Præceptor meus nunquam ſatis laudatus, magna cum voluptate vidit, quo tempore ego ex Ægypto redieram: namque lapillo in vaſe ſtanneo plano poſito, unàque modico ſucci limonis affuſo, ipſe paulo poſt à ſucco limonis alteratus per vaſis ſuperficiem inſtar animalis variè movebatur, ſemper tendens ad centrum vaſis, in quo aderat ſuccus limonis, ad quem ſuccum delatus, ipſoque imbibitus, omni motu caruit. Geſtant hunc lapidem idcircò ſuperſtitiosè non pauci, quo putant ipſos tutos à ſerpentum morſibus vivere. Jaſpides vero alios, qui viridis ſunt coloris, quique habent vel maculas rubri ſanguinis æmulas, vel puncta ſanguinea, geſtant ad ſanguinis profluvium cohibendum. Naſcitur & in ea regione lapis * Ætites, aquilinus à quibusdam vocatus, eo quia Aquilæ absque eo minimè parere queant, aut quod in Aquilarum Nidis inveniatur. Minera horum lapidum in deſerto Divi Macharii haud procul à lacu Nitroſo cernitur, in qua innumeri producuntur Ætites lapides, variarum ſanè figurarum, ſunt majori ex parte oblongi, rotundi, plerique compreſſam rotunditatem habentes, ſed aliqui etiam ſunt (quanquam pauciſſimi) quaſi perfecta rotunditate extuberantes, magnitudine vero varia ſpectantur, ſiquidem aliqui ſunt usque adeo parvi, ut ciceris magnitudinem non excedant; plerique caſtaneis ſimiles cernuntur, ſed multi usque

* *Vide Tab. II. Num. 1. 2. 3.*

adeo magni exiſtunt, ut magnitudine ſimiles panibus triticeis oblongis ſpectentur. Multi ipſorum intus alium lapidem habent, unde Dioſcorides meritò dixit: Ætites lapis eſt veluti prægnans, cum quatitur, alio in utero ſonante. Verum non omnes ſi quatiantur obſtrepunt, ſed ſolummodo minimi, qui intus cavi ſunt, vel alium lapillum, vel pulverum, aut luteum, aut nigrum continentes. Exterius veluti corticem habent duricie lapidea, ſed tamen fragili, colore ferrugineo: externa ſuperficiei ſubſtantia nigra eſt, ac veluti ſplendens; quibusdam arenulis lapideis nigricantibus, luciditatis non expertibus, mixta, atque hic veluti iſtiuſce lapidis cortex viſitur, cujus craſſities major eſt latitudine ſemidigiti minoris, atque minor unguis humanæ, digiti pollicis craſſitie cernitur. Ex iis vero intra corticem habent alii alium parvum lapillum, alii modicum terræ luteæ cretoſæ, & alii pulverem nigreſcentem: atque hi lapides cum quatiuntur, ſonant, & ſtrepitum faciunt. Qui vero non ſonant, & ſunt cæteris graviores, intus repleti ſunt terra vel lutea albicante, vel alba friabili, linguam ſiccante cum obſcura excalefactione, atque odore ad cretam inclinante, qua terra plures utuntur ad ulcera ſordida detergenda, & lota ex aqua in febribus peſtiferis, atque in pueris vermibus vexatis. His lapidibus coxis adligatis in puerperis Obſtetrices partum accelerant: veluti ad fœtum retinendum eosdem brachiis adligatos geſtare utero gerentes cum utilitate ſolent. Cum conſtet Ætitis lapidis longè plures ex terra natali reperiri differentias, omnes tamen hos, quos Africanos vocant, cæteris ad uſum Medicinæ ſcriptores prætulerunt.

Eſt & juxta radices montis Sinai lapis parvus, ovi majoris magnitudinem non excedens, oblongus, aut ovali, aut triquetra figura, inæqualisque figuræ ſuperficiei undique viſitur, denſus eſt, gravis, ſilicis duricie, colore pallido nigricante, ſuperficiem totam veluti parvulis vermiculis obtectam, infectamque habens, ex quo † Scolecitis dictus eſt, quaſi ſit inæqualiter a vermibus corroſa, & ſuperficie tenus excavata, quæ ſuperficies tota eſt lenis, ac veluti arte perpolita.

† *Vide Tab. II. Num. 4.*

lita. Geſtant hunc lapidem ad amatoria, & ad valetudinem conſervandam ſatis ſuperſtitiosè. Detritus ex cote, albo colore tingit, & amareſcit, unde ad ocularia collyria paranda uſum habet detritus ex cote cum aqua roſacea, potiſſimumque ad ophtalmias oculorum. Eodem ferè in loco in iis montibus Sinai paſſim proveniunt lapides multi, magni, duriſſimi, graviſſimi, ea figura, magnitudine, & colore efformati ut quartæ parti orbiculati caſei Ovilli omnino ſimiles videantur, unde in publicis conviviis hic lapis menſæ ludi gratia apponitur, ad quamplures ſcilicet decipiendos, pluresque ex epulantibus aliquibus Noviciis dicunt joci gratia, Cur non comeditis de illo caſeo ovillo Italico, qui optimus eſt? qui, quum ut portionem ex eo ſecturi, ipſum acceperint, continuò apud omnes riſus oboritur. Cyaneus itidem lapis in Ægypto magnis glebis pulcherrimis effoditur, ſtellis quidem, vel punctis aureis emicans: quo Medici etiam utuntur, à fece tamen purgato, & ex aqua roſata probè loto, per os ipſum exhibentes, ad cordis tremorem, & palpitationem, & ex eo quoque purgatorias potiones, & catapocia parare ſolent. Non minus ii abundant lapillis parvis oblongis olearum nucleis ſimilibus, quos quòd in Judæa quoque naſcantur, lapides Judaicos nominant, ſcilicèt Hagiar el Judi. Triplicis ſunt figuræ, quidam oleis planè ſimiles exiſtunt, habent vero per longum innumeras ſtrias ab una extremitate ad alteram, per longum æqualiter porrectas: ipſorum omnium materia eſt lapidea, duriſſima, ad ſilicem colore inclinans, intusque in ſuperficie translucet. Alii pyriformes ſunt, non excedentes oleæ magnitudinem, & craſſitudinem: eodem itidem modo perpulchre ſtriati. Ab iis & rotundi exiſtunt ceraſis & magnitudine, & figura ſimiles. Dioſcorides perbellè ipſum Judaicum lapidem ita deſcripſit. „ Judaicus lapis in Judæa naſcitur glandis effigie, albus, „ ſcita admodum configuratione, lineis æqualiter inter ſe di- „ ſtantibus quaſi de induſtria detornatis. „ Ægyptii hoc, ex cote cum aqua ſtillatitia ex ononidis radicum corticibus detrito, utuntur ad calculos in renibus, & in veſica comminuendos, atque ad urinam movendam. Morochtam vocatum lapidem, *In Lib. 5. de Med. Mat.*

quem alii leucographidam à lineis albis quas ducit, etiam vocant, habent copioſum, qui lapis etiam ab ipſis vocatus eſt à quadam veluti lapidis duritie, licèt terra ſit, de quo in capite de terris egimus: aliqui terram ſaponariam ipſum nominant, quoniam dealbandis linteis uſum apud eas gentes habet, & quod etiam ſaponem colore, figura, mollitie imitari maximè videatur.

Caput VII.

De Chalchanto, Alumine, Pompholyge, atque aliis metallicis medicamentis, quæ in Ægypto obſervantur.

Ægyptii omnia genera Chalchanti, & naturalis, & arte facti habent. Naturalis eſt cæruleus, purus, translucidus, in teſſellas hexagona, vel ſeptagona, aut nonagona figura formatus; cujusmodi eſt Cyprius. Habent & candidiſſimum Chalchantum, flavum, ſubluteum, viride, & nigreſcens. Parant & ipſi factitium viride, cæruleumque quo utuntur ad colores, atque ad alios uſus. Eodem modo iis ſunt familiaria Alumina cujusque generis, ſcilicet fiſſile, rotundum, atque humidum: factitiaque etiam omnia, inter quæ Rupeum vocatum longè eſt efficacius in adſtringendo, eo quod in Italia fit. Habent Spodium, Antiſpodium, quod ex liguſtro Ægyptio parant, quibus ad virium robur uti ſolent. Spodium Tabaxir vocant, quo nomine vulgus pharmacopæorum Spodium factitium, quippè metallicum, intelligit. At eruditiores viri eo nomine lacrymam quandam ex caudice arboris proceræ in India naſcentis, albicantem, odoratam, facultatis refrigeratoriæ, & cor maximè roborantis itidem intelligunt. Quibus commonitos Medicos noſtri temporis eſſe volu-

volumus, ut ubi apud Arabes Medicos in compoſitione medicamentorum Tabaxir, ſive Spodium legerint, non metallicum Spodium ad uſum eorum componendorum recipiant, ſed gummi Indicum Tamaxir vocatum, quod tutò per os aſſumatur. Metallicum vero, quod eſt Græcorum Spodium, omnibus ſuſpectum eſſe merito debebit, ut quod ſit metallicum, proindeque nunquam uſum habere poterit ad ea medicamenta componenda, quæ per os aſſumuntur: ſed ſolummodo iſtius uſus erit, exterioribus corporis partibus ulceratis medicandis, præſertimque probè loti, quod emplaſticæ ſit facultatis ad ulcera cicatrice claudenda, atque ad partium externarum roborationem. Habent & puriſſimam myſin, optimam chalcitim friabilem, ſoryn, cæteraque alia omnia ſimplicia medicamenta, quæ ex æris materia fiunt. Addo, eos ita cineribus, quos ex Kali herba, inibi copioſiſſimè proveniente, uſta parant, abundare, ut quotannis Naves iis onerantes ingentem copiam Venetias, atque ad alias urbes mittant. Planta Kali ex qua uſta cineres fiunt, eſt fruticoſa, lignoſa, ramulis multis tenuibus prædita, quibus foliola parva oblonga trina ſimul, aut quina rutæ ſimilia, inſunt, & aliquando unicum foliolum oblongum, geniſtæ ſimile. Demumque in Mare Rubro vocato naſcuntur proceræ arbores, quæ extra aquam extractæ coralliorum modo lapideam duritiem nanciſcuntur, adeo ut caudices cum totis ramis lapideſcant, coloreque nigro cernuntur; qui nullius apud eas gentes uſus exiſtunt.

Caput VIII.

Stirpes, quæ in Ægypto proveniunt.

Posteaquam nos ea fossilia, sive mineralia, quæ in Ægypto observata sunt, breviter fuimus complexi, non injucundum studiosis Medicinæ fore existimavimus, si etiam stirpes Ægyptiis familiares perspectas cognitasque brevi sermone redderemus, atque non minus ipsarum & facultates, & usus ad medicinam cognitos. Nunc verò paucis dicemus de illis plantis, quæ familiarius in Ægyptio solo proveniunt, exordientes ab esculentis, ad eas, quæ medicinæ apud eas gentes usui sunt, transeundo. Itaque eæ stirpes sunt, quæ ibi familiarius proveniunt: quippè lactuca longa, endivia, cichoreum, portulaca, malva, beta radicis rotundæ, brassica florida, petroselinum, apium, coriandrum, ocymum, pulegium, eruta, piper, junci folium, menta, atriplex, spinachia, chali esculentum, staphilinum; pastinaca, carduus, cinnara, papaver, bammia, melochia, capparis, porrum, allium, cæpe, sinapi, blitum, gingidium, fæniculum, asparagus, sesamus, rapa, napus, trasi, lotus Niliaca, arundo saccharifera, cheta, cucumeres alii, cucurbita, melo, pepo, anguria. Malus punica, medica, aurantia, limonia, pomum Adami, naphea, palma, vitis, ficus, persicus, musa, sycomorus, sebesten. Atque ex leguminibus, pisum, & pisi genus parvum quod Mas appellant, inter legumina apud eas gentes majori in pretio æstimatum: Cicer, lens, faseoli multa genera, faba, bammia, ervilia, aracus, ervum. Ex stirpibus vero non esculentis, papyrus, nenufhar, ocymum, chali non esculentum à quo cineres fiunt, secamonè, periplocam vulgus herbariorum nominat, melilotus, trifolium, linum, achaovan, artemisia. Marina, soffera, sesban, marù species sclareæ: gra-

graminis genera multa, far, cujus fructus beidelfar vocant. Hyoſciamus albus, hermodactilus, urtica lini ſemine, canabis, cyperus, liguſtrum, cujus foliorum pulverem archenda vocant, balſamum, licium, agiahalid, lignum Meſuag, acacia, tamarix ſativus, caſſia cathartica, tamarindus, calaf, bon, bahobab, goſſipium arboreum, jaſminus Arabicus, ſtratiotes aquatica, pſyllium, melanthium, ſolanum ſomniferum, conyza, nux metella. Hæ ſunt ſtirpes ſub cælo Ægyptio naſcentes, quarum plerasque in libro De Plantis Ægypti cum tractaverimus, de aliis, de quibus in eo libro vel non egimus, vel imperfectè quidem egimus, in hoc libro ſcribemus, ipſarumque hiſtoriam contexemus, exordientes ab iis quæ Ægyptiis ad ciborum uſum familiares exiſtunt.

Caput IX.

De ſingulis plantis eſculentis apud Ægyptios naſcentibus, atque primum oleraceæ, herbaceæve conſiderantur.

Quoniam Ægyptii ſub cælo calidiſſimo viventes cibis frigidis maximè delectantur, hinc eſt, quod iis gentibus lactuca eſt eſui acceptiſſima, atque unum præſertim lactucæ genus longum, quæ illi lactucæ eſt viſu ſimillima, quam Veneti Romanam appellant, guſtu verò longè eſt ſuavior, & videtur Memphi propria, cum in hac Civitate præſertim feratur, magnoque ſtudio colatur: per urbem eam Aſinis venalem ferunt, vilique pretio vendunt, ea copioſius omnes veſcuntur cruda, ſeque magna copia aſſiduè indigenæ ingurgitant, nec immeritò, cum noſtrates ſuavi guſtu longè antecellat. Multæ urbes, oppida, atque rura reperiuntur, in quibus ferè omnes incolæ quindecim diebus, ſolis lactucis iisque crudis,

valetudinis conſervandæ gratia, veſcuntur, intermiſſis aliis ſolitis cibis; deinde per venam ſectam ſibi ſanguinem absque Medici conſilio mitti jubent, quum putent ſe plethora laborare: idque faciunt præcipuè, mulieres virgines, viduæ, aliive multi, qui procul à negotiis agunt, vitamque in quiete, otiovè tranſigunt. Quem vivendi modum quotannis ſervantes inculpata valetudine ſe diu vixiſſe plures nobis affirmarunt. Hoc genus lactucæ, quod cæteris lactucis bonitate maximè præſtet, optimum ſanguinem in iis corporibus generare haud injuria exiſtimant, ſibique ipſis perſuadent; nimirum quia eorum corpora calidioris ſunt temperamenti, ex quo plus amaræ bilis, quam ſanguinis generari ratio ſuadet, ab uſu lactucæ refrigerata, ipſorumque calore immodico à lactucæ refrigeratoria facultate diminuto, plus ſanguinis, quàm amaræ bilis gignunt. Mirum eſt, quod de lactucæ temperamento Galenus aliquando affirmavit, quippe ipſam lactucam liberalius eſitatam, vel ejus ſuccum copioſius aſſumptum, non ſecus hominem interimere, quam faciat cicuta; aut papaver. Unde lactucis facultatem ineſſe intensè refrigeratoriam, idcircoque & deleteriam affirmaſſe viſus eſt. Quam facultatem non tamen interimere illos inquit, qui copioſius lactucis veſcuntur, quoniam cum ſit ipſa craſſarum partium, diu retinetur in ſtomacho antequam ad cor feratur, ejusque calorem extinguat, in quo tempore à calore alterata excoquitur, atque in nutrimentum vertitur. At, pace Principis Medicorum Galeni, dixerim ego, atque iſtud ipſum auderem etiam affirmare, ut in primo quoque libro diximus, nullam lactucæ ineſſe facultatem deleteriam cicutæ ſimilem, neque immoderatè eſſe refrigeratoriam ut cicuta, aut papaver, quod & ipſemet Galenus non negaſſe viſus eſt, cum ipſe in 6°. Lib. Simplicium dixerit: „Lactuca frigidum eſt, humidumque olus„ non tamen extremè (ſiquidem edendo non foret) verum maxime ſecundum aquæ, ut dicam, fontanæ frigiditatem. Quod vero nihil facultatis refrigeratoriæ mortiferæ habeat lactuca, eo facilius argumento deprehenditur, quod ipſa liberius eſitata, nihil moleſtiæ ferat: Nos vidimus quosdam

In lib. 3°. Simp. cap. 18.

In 3°. de Temp. cap. 4.

Cap. de Lactuca.

Ægy-

Ægyptios viginti usque & plures etiam lactucas comediſſe, & probè eas concoxiſſe, nullam vel etiam leviſſimam moleſtiam ſentientes, & nos quoque aliquando ad ſitim coercendam plures ſimul eximia cum guſtus voluptate ingurgitavimus, à quibus nullam moleſtiam ſentientes, probè nutriebamur, easque citius in ſtomacho, quàm fortaſſe alii cibi, qui celerioris coctionis æſtimantur, fuiſſe concoctas obſervavimus: Addimus quod ſi particeps eſſet illiuſce facultatis refrigeratoriæ cicutæ ſimilis, liberalius aſſumpta, refrigerationem, & ſtuporem hominibus induceret, ac vel etiam partes exterius adhibita ſtupefaceret, quod non facere, ne dum Ægyptii, ſed vel etiam Itali, lactucis copioſius veſci conſueti, facile deprehenderunt. Demum natura ipſam in guſtu non leviter abhorreret, quemadmodum ſtomachus ab omni veneno abhorret. Guſtui vero lactuca eſt jucundiſſima, eſuique gratiſſima. Quibus comprehendimus lactucam eſſe temperaturæ moderatè frigidæ, atque ſubſtantiæ naturæ humanæ non modo nihil contrariæ, ſed quam ſimillimæ, qua ſimilitudine à calore noſtro tota excoquitur, & citò in optimum vertitur nutrimentum. Abundat Ægyptus omnibus cichoraceis, præſertimque Endivia, atque Cichoreo, quæ plantæ usque adeo ex ſoli illius pinguedine augentur, ut ad lapam in quibusdam locis, maximè poſt Nili fluminis augmentum, foliis fere cichoreum accedere videatur, unde radices craſſiſſimas, atque teneriſſimas habent, quas ſaccharo condiunt ad uſum ægrotantium, & rectè valentium, qui eas radices, ut à caloribus non lædantur, ſeque ipſos præſervent, atque tueantur, frequentant. Ad eundem uſum portulacam eſitant omnes familiarius. Non minus & malva magni uſus eſt apud eas gentes, ea enim ſummoperè delectantur, eamque quotannis ſerunt, ex ea plurimum lucri facientes, coctam enim, & crudam eſitant. Memini me anno 1581. quendam familiarem meum Horrem Bei vocatum, qui ſuburbia multa, villas, atque vicos habebat, ubi Nilus deſinit, & mari conjungitur, Canopi malvæ copiam quingentis aureis vendidiſſe. Ad uſum mediçinæ malvæ ſemina plurimi faciunt, præſertim ad

tuſſim ex calida diſtillatione obortam, familiariſſimi ſunt apud illos ſeminum cremores ex ejusdem vel aqua, vel decocto parati, ut & ad ardorem urinæ, ejusque difficultatem, & ſuppreſſionem. Althææ quoque folia, caules, ſemina, atque radices familiarius ad medicinæ uſum apud eos ſunt in uſu: germinaque recentia, ad pectoris, atque pulmonum, & veſicæ affectus calidos, ex aqua decocta, non ſecus atque malvam comedunt. Lignum malvæ, ſiccatum in umbra, publicè venditur, Cadmieque nuncupatur, eſtque in frequentiſſimo uſu ad dolorem ſtomachi, pectoris, ex frigidis humoribus, vel à flatibus excitatum demulcendum: ipſum lignum contundunt, in aquaque maceratum exprimunt, tepidumque ægrotis præbent. Multi hoc ſolo utuntur cum fæniculi aliquanto, atque ſaccharo, ad ſedandosque hoſce, atque alios dolores, hoc expreſſum, omnia medicamenta antecellere longa experientia apud eas gentes eſt comprobatum, undè aſſiduè per urbem venale hoc lignum circumfertur, guſtui eſt gratum, nec calefacit, meritoque ab Ægyptiis (utpote quibus ſæpe dolor ventriculi accidit, ex multorum fructuum fugacium eſu, atque uſu) maximè æſtimatur hujusmodi planta, & ad prædicto dolores, & quod renum, & veſicæ doloribus à calculis etiam obortis ſuccurrat, atque urinæ ſuppreſſæ opem ferat. Nullus hortus & in urbe, atque extra urbem eſt, qui althææ plures plantas non alat. Semina ejusdem plantæ ad eosdem affectus itidem, & utiliſſima, & in frequenti uſu ſunt. Ea contundunt in Mortario cum modico fæniculi ex aquaque lac exprimunt, quod dant tepidum cum modico ſacchari. Coriano, ſivè coriandro horti Ægyptii abundant, in uſuque frequentiſſimo herbam viridem habent, ad fercula potiſſimum paranda, & ita eſt apud eas gentes familiaris uſus, ut in adagio apud eos dicatur, ſine coriano non fit ferculum. Quod maximè mirum nobis viſum eſt, cum hæc herba non parum fæteat, nihilominus ipſa & juſcula, & fercula condita guſtui ſuavia apparent. Quibus quidem liquidò conſtabit, verum fuiſſe, olim ſumme etiam fætida, cujusmodi apud antiquos fuit laſer, ideſt aſſa fætida, fuiſſe in uſu ad ci-

bo-

borum condimenta. Quam herbam moderatè assumptam, quicquam facultatis deleteriæ habere non constat, quod Græcis perperam fuit persuasum, immoderatius autem esitata, inter exstatica venena haud injuria erit adnumeranda, cum homines cum sopore deliros, amentesque reddat. Fructus, sive semina, eosdem usus habent apud Ægyptios, perinde atque apud nos. Bammiis, & melochiis Ægyptii maxime abundant, ex iisque fercula ipsorum gustui suavia parant, quibus frequentissimè in prandio, atque cœna vescuntur. Mihi tamen ea fercula ob insignem visciditatem, qua prædita sunt, nunquam accepta fuerunt, etsi sapore suavia sint. His simile Blitum visum est, atque etiam ferculum, quod ex viridi ejus herba ex aqua decocta conficiunt. His addimus Brassicas, inter quas duas solummodo fuisse apud eos populos in frequenti usu observavimus, scilicet raposam, atque floridam, quam & Cypriam, & Syriacam nonnulli vocant, quod in Cypro Insula, & in Syria nata, & grandior, & gustui præstantior sit. Sed in Ægypto tum raposa vocata, tum florida copiosius nascitur. Raposam in frustula parva dissectam, & in jure pingui Castrati decoctam comedunt, at nonnunquam ex aqua itidem percoctam, cum oleo, sale, & aceto. Floridam vero vocatam esse, cognitum est ex multis floribus, quos albos, teneros, gustui subdulces, cum ramulis veluti in unum globum congestos profert, quibus sic conglomeratis, congestisque fit veluti globus rotundus, magnitudine, atque forma nostratis brassicæ capitatæ, atque hoc caput ex floribus, ramulisque candidis, tenellis, constitutum, in jure pingui percoctum avidius esitare ii solent. Verum, ut liberè dicam, meo gustui hujusmodi brassica quadantenus insipida, & esui haud admodum accepta visa est. Hoc vero evenire potuisse à multis creditum, quod solum Ægyptiacum præ multa humiditate (etenim terra hæc nisi largissima aqua irrigata plantas non producit) omnes plantas paulo insipidiores ferat. Betam & albam, & rubram (betarapam) nostris vocatam) in hortis copiosius serunt, atque in cibis perindè atque nostri iis familiarius utuntur. Atriplicem legitimam Theophrasti iti-

dem copioſius ferunt, qua in ferculis utuntur, non ſecus & ſpinachiam vocatam, & erucam: Apium naſcitur copioſius, vegetiorque hæc planta ex multa ſoli humiditate creſcit, crudaque ejus radice, & teneris caulibus cum ſale, atque pipere ad venerem movendam libentiſſimè veſcuntur, vocantque hanc plantam Carafs, atque hanc eſſe legitimum Apium antiquorum, Græcis Selinon vocatum, in Libro quinto de Medicina Ægyptiorum, cum hac Hiſtoria evulganda, ſatis probè à nobis demonſtratum putamus, ſcilicet hanc plantam, quippe vulgo Selinon vocatum, eſſe legitimum Apium antiquorum, atque noſtrum vulgare petroſelinum nequaquam (etſi perperam plerisque fuerit perſuaſum) poſſe eſſe apium antiquorum. Bagdunez vulgare noſtrum petroſelinum vocant: cujus plantæ, non caulibus, radicibusque ad ciborum condimenta utuntur, ſed tenerrimis foliis. Apii vero, cruda radice, atque caulibus teneris propè radicem, crudis libentius veſcuntur. Eodem itidem modo utuntur carduis multis, quibus Ægyptus abundat, ſpeciatim vero Judæi iis & crudis, & coctis libentius veſcuntur, quod ipſorum uſum ſciant ad augendam venerem maxime eſſe accommodatum. Cinaris quoque in quibusdam locis (vulgus artichiochum appellat) non parum hæc regio abundat, quibus & crudis, & coctis avidiſſimè veſcuntur, præſertimque Chriſtiani, atque Hebræi: nunc audio longè abundantius cinaras ſive artichiochos ibi haberi. Aſparigique altiles in hortis non deſunt, neque menta, neque fæniculum, neque ocymum, quæ planta ibi arboreſcit, & odore cæteris plantis præfertur, unde Riham, quaſi odorem, per excellentiam quandam Incolæ vocarunt: neque melanthium, neque pulegium, etſi rara planta ſit, ibi haud omnibus locis humentibus conceſſa. Hæc ad condienda fercula uſum familiarum habent: ſinapi quoque coctum aliquando comedunt, ii præſertim qui frigidiori ventriculo laborant, medicinæ potius, quam nutrimenti cauſa. Inter genera Kali (quibus omnibus Ægyptus maxime abundat, ex quibus igne uſtis cineres conficiunt, quos ut ſuperius quoque dictum eſt

ma-

magna quantitate in varias Provincias mittunt, præſertimque Venetias) unum genus habent eſculentum, quo cocto, aliqui perinde ac Crithmo, cum oleo, ſale, atque aceto veſcuntur. Seſami planta ibi ubique locorum copioſius ſeritur, atque abundat. Semina uſum habent in bellariis, atque ad oleum conficiendum, quod ad uſum ciborum cum ſit guſtui acceptiſſimum, apud omnes in magno pretio habetur, & majori pretio venditur quam oleum olearum: quo etiam utuntur ad incruſtandas carnes aſſas. Habent & plantam quam piper longum appellant, quæ piperis acrimoniam majorem in foliis habet, uſumque aliquando habet in exigua quantitate piperis loco in ciborum condimentis. Eſt hæc planta junco rotundo quam ſimillima, unde piper juncorum appellari meritò potuit: ex foliis emanat ſuccus flavus, valdeque acris. Habent & Zatarhendi plantam, cujus folia ſiccata cum ſale, & pane comedunt, non ſecus quam Græci in Creta inſula origanum. Capparorum, quorum in Alexandria multus eſt proventus, flores prius quam dehiſcant ſale condiuntur, ex aquaque decocti cum oleo, & aceto condiuntur; omnium optimi creduntur ad ciborum uſum, qui ex Alexandria ad nos convehuntur. Aceto conditi ex Liguria habentur, guſtui ſuaviſſimi, ſed longe Alexandrinis minores ſunt, quoniam & frutices capparis, qui in Alexandria Ægypti proveniunt, majores exiſtunt, foliaque habent majora, & minus ſpinis horrent. Commendatur ſalitorum uſus ad eos qui ſtomachum pituitoſis, craſſisque humoribus oppletum habent, proindeque ad debilem ſtomachum, inappetentiaque laborantem, & ad viſcerum obſtructiones, præſertimque lienis, ad paralyſim, ad convulſionem ex iisdem humoribus factam, ad febres omnes longas, & chronicas maximè laudatur. Naſcitur in Ægypto papaver, & nigrum, & album: hoc in familiari uſu eſt, quippè ipſius ſemina alba, ſuntque hæc puerorum bellaria: eſt ipſorum lac expreſſum aqua tepidum exhibitum utile ad ſomnum vigilibus conciliandum, ad renum inflammationem compeſcendam, atque ad urinæ ardorem, non minusque ad acrem, ſalſamque diſtillationem ex capite ad pulmones, ad

tuſ-

tuſſimque exinde ſævam obortam. Per os quoque ſemina cum ſaccharo ad eosdem affectus, atque ad ſputum etiam ſanguinis, contuſa ſæpe cochlearis menſura ſumma cum utilitate devorantur, præcipueque cum ægroti eunt dormitum. Nigrum verò naſcitur in Thebaide Ægypti, ex quo capitibus ſcarificatis exit lachryma, quam ii Affium, & noſtri Opium nuncupant, atque ex iisdem papaveris capitibus contuſis, & prelo expreſſis, ſuccum colligunt, Meconicum Græcis dictum, quod pro opio ad nos mittunt; at opium in iis locis magna quantitate conſumitur apud Ægyptios, Turcas, atque Arabes, quorum multi ipſum fere quotidie ad ſemidrachmam, & usque ad drachmam, & geminam etiam ejus eſui aſſueti devorant, ut hilares, atque animoſiores, præſertim in bello efficiantur: ſed plura de opii eſu, atque uſu, atque de ſingulis operibus, quæ in aſſuetis ipſum aſſumere fiunt, nos ſuperius in ſecundo libro, & in libris noſtris de Medicina Ægyptiorum ſatis accuratè ſcripſimus; frequentant in uſu ad cibum germen palmæ, Cephalonem vocant, crudumque, & coctum libenter eſitant. Ubique locorum in agris ſeruntur arundines ſacchariferæ, quæ eſui quod ſint jucundiſſimæ, ab omnibus crudæ eduntur, ex iisdemque torcularibus ſuccum exprimentes, atque poſtea ad ignem coquentes, optimum ſaccharum conficiunt, quo tota ea regio maximè affluit, præſertimque Inſula, Delta vocata, ejus quidem eſt fæcundiſſima: atque hujusmodi eſt, quod nos aliquando offendimus ſpontè circum quasdam arundines concretum ſalis modo, quod Dioſcorides mellis genere comprehendit, qui de ipſo ita ſcripſit. „ Eſt & aliud concreti mellis genus quod ſaccharum nominatur: in India vero, & fælici Arabia in Arundinibus invenitur. „ Avicenna ſalem Indicum vocavit, & Arrianus in Navigatione Maris Rubri, itidem ſaccharum. Antiquos fortaſſe latuit ſaccharum fieri contuſis arundinibus, atque expreſſis, ſucco eo dulci extracto, igneque excocto. Atque hæc de ſtirpibus oleraceis totis eſculentis in Ægypto naſcentibus, nunc de iis plantis ſermonem habituri ſumus, quæ habent radices eſui accommodatas.

In 2°. Lib. de Mat. Med. Cap. 92.

Caput X.

De Loti radicibus, quibus Ægyptii quotannis familiarius veſcuntur.

Cum inter radices eſculentas, Ægyptiis familiares, ex iis quas Nilus flumen producit, duæ ſint admodum illis gratæ, nempe Lotus, atque colocaſſia: de Loti radicibus primum ſcribemus: etenim ea gens iis Loti Nilotici radicibus & crudis, & coctis admodum familiariter delectatur, præſertimque Hebræi, quam plantam Arais el Nil appellant. Hanc, cum Librum de Ægypti plantis ſcriberemus, nobis fuiſſe planè ignotam fatemur, & cum Loto, quam eatenus minimè agnoveramus, Nympheam (Nuphar Arabibus vocatam) confudimus, Lotum ſcilicet, Nympheæ eſſe ſpeciem ſuſpicati, tum ob alia multa, tum quod præſertim habere & ipſam eas mirabiles ad ſolem converſiones obſervaverimus, quippè cujus, occidente Sole, in aqua flos comprimatur, occludatur, atque eo oriente ex aqua emergat, quod de tota planta, præcipuè vero de ejus flore, & capite obſervatur. At, evulgato Libro de plantis Ægypti, poſtea à Dominico à Rege, Nationis Venetæ in Civitate Cairi, & Chirurgo, & Pharmacopæo, complures loti radices ex Ægypto miſſas accepimus, quæ nucem juglandem magnam magnitudine æquant, in longumque rotundæ ſunt, cum multis radicibus parvis tenuibus longis, ceu fibris, à radice naſcentibus: radix intus eſt lutei coloris, extra nigreſcentis. Qua radice recenti, & cruda, & cocta, æſtatis tempore, quo, accedentibus aquis Nili riguis, provenit, perque tres menſes, in quibus in Urbem ruſtici deferunt, libenter veſcuntur: addiditque ſe audiviſſe ab eo viro ex quo eas radices coemerat, eam plantam Nymphææ minori eſſe ſimilem, hoc excepto, quod flores cærulei coloris eſſent.

Quæ ſi vera ſunt, hæc lotus Niloticus erit Athenæi, & non Dioſcoridis, qui ſcripſit, florem lotum ferre lilio ſimilem, ex totoque candidum, cujusmodi nymphææ majoris eſt. Quod vero hæc planta Nymphææ quoque genere comprehendi debeat, non eſt quod dubitare debeamus, quoniam lotus cum Nymphæa ferè omnino conveniat, quippè & foliis, & caulibus, & floribus, atque fructibus: quinimo non injuria olim nos dubitaveramus, Nymphæam majorem fuiſſe lotum Dioſcoridis, cum ipſum ita deſcripſerit. „ Eſt & in Ægypto lotus, quæ „ aquis provenit plana irrigantibus, caule fabæ, flore parvo „ candido lilio ſimili, quem tradunt occidente ſole compri- „ mi, occludique; ad ortum autem aperiri: adduntque caput „ veſpera aquis condi, & ad exortum ſolis emergere. Caput „ quale papaveris maximum, & intus grana, ceu milii, quæ „ Ægyptii ſiccant, & in panes cogunt. Radicem Lotus „ hæc habet mali cotonei ſimilitudine, quæ cocta, crudaque „ manditur: decoctaque lutei ovi ſpeciem exhibet. „ Qua deſcriptione confirmatur opinio, quod lotus ſit Nympheæ ſpecies, cum ille caules, flores, & capita ſimilia capitibus papaveris, intus ſemina, ut milii, continentia habeat. Quid amplius: an non cognitum eſt loton cum Nymphææ radice convenire? Nos enim prope Venetias in Margheræ lacunis invenimus præter Nymphæam longa radice, etiam albam itidem Nymphæam radice rotunda mali cotonei ſimilitudine. Radix vero longa luteæ Nymphææ magis propria eſſe nobis viſa eſt, cum lutea Nymphæa omnis, ut hactenus cognitum eſt, longam radicem habeat. At albæ nymphææ, cæteris grandioris plantæ, quædam longam, & quædam rotundam loti corſiam habet: cujusmodi eſt, quam nos olim, ut diximus in Margheræ lacubus offendimus, cujus figuram * hic expreſſam damus. Ambibetar Arabs medicus, qui diligentiſſimè ſcripſit de plantis provenientibus in Ægypto librum, tantopere ab herbarum ſtudioſis hactenus deſideratum, quemque vidimus apud quendam Medicum Hebræum ex Arabico idiomate in Hiſpanicam linguam verſum, ut ingenuè dicam, non rectè, neque fideliter, ut deſideraſſem, quem ſi fideliter etiam

In Lib. 4 Mat. Med. Cap. 115.

** Vide Tab. II. num. 5.*

in

in Hiſpanicam Linguam verſum intellexiſſem, omni pretio ab eo Medico Hebræo ipſum emiſſem. Hic auctor in eo Libro, poſteaquam hanc plantam, quippè Lotum, ex Dioſcoride deſcripſit, ipſum itidem hunc in modum expreſſit, dicens. „ Dico ego Biſnim copioſè in Ægypto provenire, atque re„ ctè ibi cognitum eſſe, præſertim ubi aqua Nili augetur, „ atque terram contegit, quæ planta Nymphææ æquè ſimi„ lis videtur, & duas ſpecies Ægyptii cognoſcunt, unam „ quam el Hanziri vocant, atque alteram el Arabi vocatam, „ quæ melior eſt. Ex hujus floribus, non ſecus quam ex lilii, „ & Nymphææ itidem floribus, oleum apud eos confici ſolet „ maximè ab illis in phreniticis per nares attractum lauda„ tum: & ejus radix dicitur Biaron, & radix el arabi eſt „ præſtantior quam ſit el Hanziri, quæ eſt minus odorata, „ & odor videtur cypero ſimilis. Cum ex jure carnis de„ coquitur, colore efficitur ſimilis ovi luteo cum modico al„ bumine, & ſapore inclinat ad Chama ſi deguſtetur, & „ eſt inclinans aliqualiter ad calidum, & auget venerem, & „ ſtomachum calefacit, & confert dyſenteriæ. „ Hæc de Loto Ambibetar, quæ etſi videantur convenire cum iis, quæ & Dioſcorides, atque alii de loto ſcripſerunt, nihilominus ea deſcriptio loti admodum imperfecta deprehenditur, cum neque folia, neque flores, neque fructus, neque radices, neque etiam admirandam eam ad ſolem circumverſionem, quam de loto omnes meminere, expreſſerit; hæc fortaſſe ſingularia de induſtria tacuit, cum dixerit eſſe Nymphææ ſimilem, ſcilicet foliis, caulibus, floribus, capitibus, radicibus, & ſingulari ea ad ſolem converſione. Quod hunc virum non latuerit, nymphæam reperiri habentem radicem rotundam mali cotonei ſimilitudine, quam nos quoque in Margheræ lacunis invenimus, cujus quidem & ad ſolem miram eam converſionem ſedulò olim in Nymphæis Margheræ lacuum obſervavimus, eamque recognovimus, ut nos quoque in Libro de Plantis Ægypti teſtatum fecimus. Addimus, vires, atque uſus ad medicinam ipſius loti ex Ambibetar deſcripti eſſe ferè eosdem cum Nymphææ uſibus, quippè

cum dixerit, conferre oleum ex floribus ad phreneticos per nares attractum, & radicem conferre ad dyſenteriam tollendam. Itaque quoad in Nilo flumine planta reperietur, quæ ſit Nymphææ ſimilis, & omnes notas loti habeat, credemus lotum Dioſcoridis, eſſe Nymphæam albam radice loti corſia præditam. Accedit etiam, ut magis hæc noſtra ſententia confirmetur, Dioſcoridem de Nymphæa dixiſſe duo, quæ faciunt ad credendum Nymphæam albam rotundæ radicis eſſe loti ſpeciem: unum eſt quod dixit, Nymphæam ferre florem lilio ſimilem candidum in medio crocos habentem; atque alterum, producere in capitibus ſemina nigra: quæ ſi vera ſunt, cum flores nymphææ ſint ex toto candidi, nullum croci colorem in medio habentes, & ſemina etiam ſint flaveſcentis coloris, non nigra, videtur non parum dubitandum, hanc eſſe Nymphæam Dioſcoridis, ſed ejus potius lotum, quem expreſſit habere florem candidum, & capita continere ſemina non nigra, ut de Nymphæa dixerat, ſed ut milii ſemina. Quibus profecto omnibus, ſatis conſtare arbitror, Nymphæam, habentem flores candidos, & ſemina non nigra, radicemque loti corſiam, & cujus flores occidente ſole clauduntur, & capita intra aquam conduntur, atque ad exortum ſolis flores aperiuntur, & capita extra aquam emergunt, pro loto nos aliàs recognoſcere non injuria potuiſſe. Quod verò lotus, cujus radix Arais el Nil Ægyptiis dicitur, ſit & ipſa Nymphææ ſpecies, ex caulibus, florum figura, & magnitudine, & capitibus, non erit dubitandum. Eſſe verò lotum Athenæi facile conjicitur ex floribus cæruleis, vel ex ipſomet etiam Athenæo, qui in Libro decimo quinto Deipnoſophiſtarum ſcribit, coronas olim ex loto contexere Ægyptios conſuevisſe, alias ex floribus roſei coloris, quas Antinoias itidem refert Athenæus fuiſſe nominatas, alias ex floribus cyanei coloris, quas itidem Lotinas coronas appellarunt. Retulit etiam à quodam viro Ægyptio, Adriano Imperatori Alexandriæ agenti, florem loti roſeum, velut ingens oſtentum ac miraculum, ſpectandum fuiſſe latum: eſſe vero lotum vel Theophraſti, vel Plinii non eſt credendum ex

flore

flore non albo, ac vel etiam quod radix non habeat magnitudinem mali cotonei, cum, ut à nobis dictum est, nucem juglandem magnam magnitudine ipsa æquet, non autem malum cotoneum. Verum enim vero quòd loti cognitio non sit nobis ex veterum monumentis, præsertimque ex uno Theophrasto, Dioscoride, & Plinio planè certa, causam referendam esse crediderim, quod Theophrastus, & alii ea omnia ex aliorum relatione de loto scripserint, minimeque ex illiusce plantæ vera notitia. Ægyptii igitur per tres menses comedunt radices coctas, quæ intus verè quidem luteum ovi, colore, ac fere sapore, æmulantur, non minusque etiam & crudas, omniumque maximè Hebræi, in quorum foro, Nilo flumine augescente, quippe mensibus Julio, Augusto, atque Septembri, Arais el Nil venalis reperitur. Unde Plinius cum errore inquit: Loti herbam apparere recedentibus aquis Nili riguis: cum aquæ incipiant recedere mense solummodo Octobri. Retulit mihi olim Jacobus Manus Medicus in Ægypto, qui plures annos medicinam fecerat, ex iis seminibus, quæ loti capita intus habent, Ægyptios ex aqua, vel lacte ipsorum farina subacta, panes conficere solitos esse. Quod tamen an verum sit, non leviter dubitarem, quod omnes Ægypti incolæ, vel divites, vel pauperes, vel urbani, vel rustici, nullo alio panis genere vescantur, quam triticeo, non enim aliud genus panis eam gentem edere consueviſſe, nos satis superque cognovimus, nisi in tempore penuriæ: quo tempore solummodo, quippe caritatis, penuriæve, Ægyptios iis panibus ad cibum usos fuisse eruditè Diodorus Siculus posteritati tradidit. Postquam hæc de loto scripsimus, litteras accepimus ex Cairo Ægypti cum Arais el Nil, idest, loto flore albo liliaceo, de quo loto Discursum reservavimus in Libro secundo de Plantis Exoticis faciendum, quo in loco loti Dioscoridis, Theophrasti, atque Plinii veram & indubitatam imaginem affabrè delineatam dare pollicemur.

Caput XI.

De radicibus, quas Ægyptii Culcas appellant, atque noſtri Colocaſias, quibus coctis familiarius veſcuntur.

Scripſi aliàs in Libro de Plantis Ægypti eam gentem inter radices quibus in cibo frequenter coctis ex jure, aut alio modo utuntur, primum in honore habere illas quas Culcas appellant, quæ ſunt majori ex parte radices longæ, craſſæ, cannarum radices æmulantes, aut melius, cum magnitudine, tum figura chinæ radicibus vulgo vocatis ſimiles, intus albicantes, exterius nigricantes, ſapore acri, cum quadam adſtrictione, quibus nituntur folia multa ſuis pediculis craſſis longis adnexa, nymphææ foliis ſimilia, ſed longe ampliora. Ex iis radicibus etiam multæ orbiculari figura, & craſſitie ibi & copioſius proveniunt. Unde fit, ut Culcas Ægyptiorum duplicis differentiæ, ſcilicet longæ radicis, & rotundæ exiſtant. Rurſus rotundæ quædam radix eſt depreſſa, quædam ex toto orbicularis, quæ tamen radices figura variæ, eædem ſunt ſubſtantia, colore, atque guſtu. Diximus vero in Libro de Plantis, de hac radice ſcribentes, ejus plantam eſſe ſterilem, ita ut neque caulem illum ferat, neque florem, ac neque fructum, aut ſemen: quod nunc etiam affirmamus, eorum omnium qui hactenus Ægypti loca perluſtrarunt, qui multi fuerunt, uniformi teſtimonio. Nemo ex innumeris, qui ab eo tempore quo ex ea regione diſceſſimus hactenus inibi fuerunt, inventus eſt, qui vel viderit unam ex Colocaſiis, vel audierit, cum flore, vel fructu viſam fuiſſe. Non me latet tamen (etſi ea planta in Ægyptio ſolo omnium conſenſu nativo, & patrio nunquam viſa ſit cum caule, flore, atque fructu) alibi in alio ſolo peregrino aliquando colocaſiam floruiſſe, à multis eſſe affirmatum, atque

que etiam à viris & ingenius, & doctiſſimis, inter quos fuerunt Ferrantes Imperatus, non minus eruditione, & doctrina, quam probitate, & ingenuitate clarus, atque Fabius Columna, vir & ipſe omni laude dignus. Ambo per litteras ad me miſſas affirmarunt, Neapoli vulgarem colocaſiam ſæpè floruiſſe, treſque flores ari floribus ſimillimos juxta quolibet folium productos fuiſſe, à quibus poſtea piſtillus cum fructibus etiam proſilierat, ſed qui nunquam maturitate perficeretur: quin imò Imperatus unum florem ex colocaſiæ planta decerptum ea liberalitate, qua & alia, proximis menſibus ad me miſit, quem apud me ſervo. Quo ſane Fabius Columna, vir, omni diſciplinarum ſtudio clarus, in eam venit ſententiam, quod vulgaris hæc colocaſia ſit legitimum Aron Ægyptium Plinii, præſertimque quia hæc planta habet radicem orbiculatam bulboſam, florem ari producit, & piſtillum, & ejus radix editur & cruda, & cocta. Quæ notæ videntur ſatis convenire Aro Ægyptio, à Plinio deſcripto, qui inquit: " Eſt inter genera, quod in Ægypto Aron vocant, *In lib. 19. Cap. 5.*
„ ſcillæ proximum amplitudine, folio lapathi, caule recto
„ duorum cubitorum, baculi craſſitudine, radice mollioris
„ naturæ, quæ edatur & cruda.„ Profecto magnitudine, & figura, quadantenus orbiculari ſcillæ, rotunda radix colocaſiæ ſimilis viſa eſt, non minus & folia lapatho rotundi folio, per quam plantam fortaſſe Rhaponticum intellexiſſe potuit, quam ex Rhodope Thraciæ monte ab hinc quatuor annis nos accepimus, quamque itidem Diſſertatione, in Scholis Gymnaſii Patavini habita ad Medicinæ ſtudioſos, demonſtravimus, lapathum eſſe, & ex foliis ad orbicularem figuram accedentibus lapathum rotundifolium etiam appellavimus. Hujusmodi planta foliorum amplitudine, & figura ſimilis colocaſiæ omnibus viſa eſt. Forſan Plinio haud fuit ignota planta, Rhei nomine, lapathi rotundi folio. Redeo unde diſceſſeram, & colligo vulgarem colacaſiam, & quod radix ejus orbiculata ſit, ſcillæque quadantenus ſimilis, mollioris ſubſtantiæ, unde etiam cruda edatur, folia vero ampla ad lapathi rotundi folii folia figura accedentia, nec non quod caulem

ha-

habeat rectum baculi craſſitudine, viſam fuiſſe multis Aron Ægyptiacum, cujus opinionis primus fuit Andreas Mattheolus, vir ſua ætate in ſimplicium Medicamentorum cognitione nulli fortaſſe ſecundus, qui verè quidem (dummodo fabæ Ægyptiæ Planta delineata fictitia non ſit) colocaſiam eam, quæ habet radicem rotundam, eſſe Aron affirmaſſe videbitur, ex ſimilitudine quam cum Aro, & foliis, & radice habere videtur; Colocaſiam vero Ægyptiorum, non eſſe Arum Ægyptiacum, vel eo argumento demonſtratur, quod majori ex parte, bonitateque eſt apud Ægyptiam gentem præcipuè æſtimata, radix eſt macroriza, id eſt radicis longæ, craſſis arundinum radicibus ſimilis. Non nego tamen etiam rotundæ figuræ radice veſci illos copioſius quoque ibi, in nullis præterquam in radicis figura à macroriza differente. Si itaque ex Mattheolo rotundæ radicis colocaſia erit Aron, in quem ſenſum fortaſſe & Plinium eam pro Aro Ægyptio, ex ea ſimilitudine quam cum Aro habuiſſe viſa eſt, recepiſſe aliquis ſuſpicari poſſit; quid erit Colocaſia longæ radicis? an non erit faba Ægyptia antiquorum? & ſi faba Ægyptia ſit, numquid erit Aron macrorizum, id eſt longæ radicis? Nequaquam: cum Colocaſiæ cum Aro ſimilitudo in radice rotunda præcipuè conſiſtat. Quid de fabæ Ægyptiæ figura à Mattheola tradita? Abſque dubio ſuſpicor deceptum fuiſſe à ſuo Augerio de Busbeke, qui illam imaginem Conſtantinopoli allatam dederat. Ego certe ſemper ſuſpicatus ſum eam fabæ Ægyptiæ figuram eſſe fictitiam: cum ego, inquam, qui in Ægypto quatuor integros annos Medicinæ cauſa moram traxi, numquam eam Mattheoli plantam in Nilo flumine offendere potuerim, tametſi ſummo ſtudio in multis Ægypti locis eam perquiſiverim, ab oppido Roſetta vocato ad Cairum uſque, per Nilum flumen, & à Cairo in Damiatam, ad quam civitatem æſtatis tempore per Nilum navigavi, quo tempore per totam Deltam inſulam, omnium Ægypti Provinciarum fæcundiſſimam, in qua agros colocaſiis refertiſſimos conſpeximus, & omnia alia plantarum genera ibi obſervavimus, non tamen eam fabæ Ægyptiæ plantam

un-

unquam videre potuimus, nec minus aliquos qui eam plantam alicubi in Ægypto offenderint. Non paucos quoque lacus vidimus, percurrimusque, in quibus eam plantam amplitudine foliorum insignem frustra perquisivimus. Quid amplius? An non, si in Ægypto ea planta fabarum fœcundissima copiosius, ut antiqui tradidisse visi sunt, vigeret, etiam fabarum illarum esculentarum copia, indigenæ quibus vescerentur, abundarent? veluti leguminosas fabas toto anno virides familiarius esitant. An non in Civitate Cairi, aut alibi in aliquo oppido, vel vico venales fabæ Ægyptiæ reperirentur, si inibi producerentur? Sed si hæ ab Ægyptiis perquirantur, nos derident, dicentes nusquam in Ægypto plantam se cognoscere, quæ hujusmodi fabas ferat. Plantam, quam pro Aro Ægyptio pictam dedit Mattheolus, non esse Colocasiam rotundæ radicis, etsi radix rotunda videatur, nos, qui plurimum Colocasias pertractavimus, facilè cegnovimus: namque Colocasia rotundæ radicis, habet radicem orbiculatam rapæ similem. Illius vero Colocasiæ figuræ radix rotunda, nota est longæ radicis in nostra regione, quæ cum non habuerit terram sibi convenientem, sed ab ea, in qua rectè viveret, diversam, magna ex parte consumpta, in parvam eam rotundam radicem desinere solet. Cum Venetiis olim Medicinæ causa viveremus multos annos, ad nos lignea capsula ex Ægypto, eadem terra Ægypti plena, cum multis Colocasiis macrorizis, ideſt longæ radicis insitis, hyeme perlata est, in qua Vere ineunte vidimus, Colocasiis in ea capsula germinare incipientibus, ipsarum radices omnes longas, geniculatas, arundinum cannis simillimas esse: quibus per æstatem magna ex parte consumptis, singula longa radix tandem in parvam radicem rotundam mutata est. Quare haud injuria credidimus eam fabam Ægyptiam, ferentem caulem, florem, atque fabas illas esculentas, quando neque planta, neque fabæ eæ in Ægypto ab aliquo cognoscantur, esse fabulosam, & cum radix illiusce plantæ, colocasia antiquitus ab iis gentibus fuerit nominata, idque proprii habuisse etiam constet, quod apud eas gentes, & cruda, & cocta, familiarius,

frequentiusque ederetur, haud injuria eos laudamus viros, qui radicem eam in Ægypto ſpontè naſcentem, maximèque ibi in aquis lacunoſis luxuriantem, colocaſiæ nomen uſque nunc ſervantem, habentemque uſum familiariſſimum in cibo & crudam, & coctam, antiquorum fabam Ægyptiam eſſe voluerunt. Nihilominus, cum omnium ſtupore nobis Ægyptia Colocaſia in hortis floruit anno MDCXII. de qua legito quæ nos ſcripſimus in Libris de Plantis Peregrinis: neque eſt quod Theophraſtus, atque ab eo Dioſcorides, atque ab iis alii cum errore ſcripſerint, hanc plantam ferre caulem, flores, & fructus, quos à ſimilitudine, ut aliquibus viſum eſt, fabas appellarunt, easque uſum habuiſſe quondam apud eas gentes familiarem in cibo, quippè quæ & crudæ, & coctæ familiarius ab iis eſitarentur. Qui vero fieri poteſt, ut credamus plantam ſponte olim in Lacubus Ægypti ita copiosè naſcentem, nunc prorſus interiiſſe? & ſi non interiit, cur non cognoſcitur, atque ipſius non minus fabæ edules, tantopere ad cibum, cum ejus radicibus ab omnibus frequentatæ? Si quis vero objiciat nobis, plantam quam Mattheolus ait ſe ab Odoardo Polono Tridenti ex Ægypto allatam vidiſſe, cujus imaginem ab Augerio de Busbeke acceptam in ſuis commentariis inſeruit, eſſe pro antiquorum faba Ægyptia recipiendam, unico argumento hanc falſo dici facile demonſtrabimus, ſcilicet quod ſi hæc admitteretur, non duas radices olim apud Ægyptios in Nilo naſcentes ad ciborum uſum fuiſſe uſitatas, atque ab iis populis cognitas, veluti omnes veteres Scriptores tradidiſſe viſi fuerunt, ſed longè plures, dicendum eſſet, quippè primo fabam eam Ægyptiam à Mattheolo creditam; deinde Lotum Ægyptiam, atque Colocaſiam longam, & rotundam. Quod vero duæ tantùm fuerint cognitæ radices ad uſum ciborum in Nilo naſcentes, plerique veterum ſcriptorum nobis innuiſſe viſi ſunt. Herodotus, antiquiſſimus ſcriptor, duas plantas in Nilo naſcentes memorat, quarum alteram orbicularem radicem habere tradidit, quæ erit, non Lotus, ut perperam Petrus Bellonius credidit, ignarus in Ægypto Colocaſias majori ex parte habere radices longas, craſ-

In Lib. 2°.

craſſas, arundinum radicibus ſimiles, etſi Colocaſiæ nomine etiam radices rotundas habentes inibi naſcantur: alteram vero quidpiam olivarum nucleis ſimile in capite habere, quæ idcirco eſſe à multis credita eſt faba Ægyptia vocata. Poſt Herodotum, Diodorus Siculus in Libro primo de Fabuloſis antiquorum geſtis, ita de iis Plantis inquit. „ Lotum præ„ terea fert plurimam, ex qua panem conficiunt ad victus „ indigentiam, ciborum inſuper abundantius fert, quod appel„ lant Ægyptiam fabam. Quid de Theophraſto, atque de Dioſcoride dicemus? an non de duabus ſolummodo plantis in Nilo naſcentibus egerunt? ſcilicet de faba Ægyptia, cujus radicem dixit Dioſcorides vocari Colocaſiam, atque de Loto itidem Ægyptia? Quid itaque dicemus? Si faba Ægyptia diverſa erit à Colocaſia, non duæ plantæ erunt in Nilo naſcentes, ſcilicet, Lotus, & Faba Ægyptia, ſed etiam præter has Colocaſia; quod ſi Colocaſia rotundæ radicis eſſet, uti aliis viſum eſt, Aron Ægyptium, plantæ in Nilo naſcentes eſſent quatuor, cum tamen antiqui uniformiter duas ſolummodo eas fuiſſe mortalium memoriæ prodiderint: ſcilicet fabam Ægyptiam, per quam plantam nullam aliam intelligere potuerunt, quàm Colocaſiam ipſam, atque Lotum Ægyptiam. At quid dicemus de Aro Ægyptio? An in Ægypto naſcitur? Neminem ex veteribus legi, qui Ari Ægyptii meminerit, uno Plinio excepto, qui Ægyptium Aron nominat, atque deſcribit, dicens habere folia ampla lapatho proxima, caulemque rectum bicubitalem, baculi craſſitudine, & radicem ſcillæ ſimilem, naturæ mollioris, quæ & cruda edatur: Si Colocaſia rotundæ radicis caulem in Ægypto produxiſſet, Plinius eam non immeritò Aron appellare potuiſſet: ſed cum in Ægypto neque florem, neque caulem ferat, idcirco Colocaſia Aron eſſe non poterit: & non modo non in Ægypto, ſed neque in Cypro, neque in Creta Inſula, quibus in locis fluvii ſpontè ferunt innumeras Colocaſias ſtrongylorizas, ideſt radice rotunda præditas, in quibus nunquam flores fuere producti. Quod ſi eæ aliquando floruiſſent, flores fuiſſent ab aliquibus obſervati, præſertimque ab Honorio Bello Vicenti-

no Medico illuſtri, in herbarum cognitione maximè exercitato, qui plures annos in ea Cretæ Inſula Medicinæ cauſa vixit, præſertimque cum mordicus contra nos tenuiſſet, Colocaſiam eſſe Aron Ægyptiorum. Cujus quidem opinionis defendendæ cauſa, Johannes Vincentius Pinellus, vir & genere, & diſciplinarum omnium ſtudio maximè illuſtris, ad Honorii Belli opinionem confirmandam, planè, ut illi omninò faveret, mihi ſæpe pollicebatur integram Colocaſiam cum flore Neapoli procuraturum, mihique eam oſtenſurum, ut veritatem in ea planta cognoſcerem: tandemque, nullis ſumptibus parcens, eam cum Neapoli convectam recepiſſet, ocius me, atque Jacobum Antonium Cortuſum, nobilem Patavinum, Horti Medici Patavini præfectum, accerſivit, ut eam cum flore ambo recognoſceremus, ſed contra ſpem evenit, ſiquidem cum ego fortè eam diligenter inſpexiſſem, ejus florem eſſe Ariſari plantæ cognovi, quod & Cortuſus illico faſſus eſt. At cum Pinellus conſtanter negaret, ecce, à me bona fortuna, revolutis Colocaſiæ ſiccatæ foliis, apparuit Ariſari folium etiam cum flore in principio conjunctum, negligenter ab iis qui eam plantam Pinello miſerant, inter folia latens, relictum. Quo viſo omnes obſtupuerunt, & faſſi quoque fuerunt florem eſſe fictitium, omnisque Diſputatio de Colocaſia continuò ceſſavit, facileque & hinc creditum eſt, Lucam Ghinum in Bononienſi Gymnaſio medicamentorum Simplicium Profeſſorem celeberrimum, ut oſtentaret & ipſe Colocaſiam eſſe Arum Ægyptium, in terra in qua planta Colocaſiæ fuerat plantata, ſimul etiam ab ipſo inſerta Ari radice, quæ poſtea in medio foliorum Colocaſiæ floruit, & piſtillum quoque è terra excluſit, plures decepiſſe, qui idcirco putarunt, Colocaſiam eſſe Arum Ægyptium. Hanc hiſtoriam dedit Aloyſius Anguillarius in ſuis Simplicium Medicamentorum Diſcurſibus. Sed quid tandem ad Ferrantem Imperatum, atque ad Fabium Columnam, viros ingenuos, qui ad me ſcripſerunt, ibi Colocaſias ſæpe cum floribus ſimilibus Ari floribus conſpexiſſe, dicemus? ſi verum ſit quod ibi ea planta floreat, non tamen fatebimur eſſe Aron, cum in multis

2
1
3

multis Colocaſia ab Aro differat, præſertimque foliorum amplitudine, & foliis non maculoſis, omniumque maxime radice, atque ejus facultate, quæ Colocaſiæ eſt infarciens meatus, & Ari meatuum deterſoria. Abimbetar Ægyptius, in capite de Colocaſia, apertè & ipſe tradidit, Colocaſiam caulem non ferre, neque florem, neque fructum. Quod ſi ibi etiam antiquitus Colocaſia aliquando flores Ari produxiſſet, veteres ſcriptores eam tanquam diverſam plantam à faba Ægyptia, quæ eſt Colocaſia Macroriza, deſcribere non omiſiſſent: non enim duas ſolummodo plantas Nili familiares eſſe dixiſſent, ſed Arum quoque recenſuiſſent inter Niloticas plantas. Neque credi poteſt à quoquam, Herodotum per plantam, quæ habet radicem orbicularem, Arum intellexiſſe, at potius Lotum, cujus radix, ut Theophraſtus auctor eſt, rotunda eſt, malo cotoneo ſimilis. Andreas Cæſalpinus ſcripſit in Libris de Plantis, quandam plantam Colocaſiæ ſimilem, quamque & Siculi Colocaſiam appellant, naſci in Sicilia, habentem folia fermè amplitudine Perſonatæ, non ſine maculis quibusdam effigie undarum lætè virentium, radicemque ferre rotundam, ſed tamen hanc & ipſam plantam, neque florem, neque caulem ferre tradidit. Hanc Arum magnum eſſe tradidit. Fortaſſe nos, qui alias Colocaſias ex Ægypto expectamus, cogemur hanc eandem difficultatem longè accuratiùs in Libro ſecundo de Plantis Exoticis tractare, quo loco ultimam manum pro hac veritate cognoſcenda ponere † operam dabimus.

In Lib. 5°. de Plant. Cap. 38.

† *Vide Colocaſiam rotundam Abimbetaris & Colocaſiam longam Tab. III. num.* 1. & 2. *atque aliam ſpeciem Tab. IV.*

Caput XII.

De reliquis radicibus eſculentis in Ægypto naſcentibus.

Ægyptii abundant & aliis radicibus eſculentis, quibus crudis, & coctis veſcuntur, interque eas eſt vulgaris Paſtinaca, & ſylveſtris ea, quam noſtri vocant Carotam, tum nigræ radicis, tum albæ flaveſcentis, quibus crudis familiarius quam coctis veſcuntur. Has frequentant mulieres, quæ non liberalius purgantur, & ad movendam urinam, atque ad venerem excitandam haud ipſarum uſus eſt ſpernendus. Veſcuntur & raphano crudo prima menſa, non ſecus quam faciunt Itali, at non in ultima menſa, quod fætidas eructationes moveat. Betam rapoſam, & cauli rapam coctam ex jure, aut cum cæpa, petroſelino, atque ſale libentius edunt, non minus quam rapum, napumque. Habent & cæpas albas, ac rubras aſcalonias, porra, allia. Hæc ſunt (ſcilicet allia) ita apud omnes in uſu familiari, & frequenti, ut absque allio nullum ferculum paretur: eo optimo incolæ non abundant in proprio ſolo, quod propter calorem inſignem nucleos vel non producat, vel valde exiles. Itaque & ob hanc cauſam, quod optimum Ægyptus non producat, & quod eo omnes cum Ægyptii, tum Arabes, atque Indi ad cibos frequentiſſime, atque ad medicinæ uſum non minus, utantur, optimum magna quantitate ex Italia navibus convehitur in Ægyptum, ibique magno pretio venditur, atque aliquando tanto pretio æſtimatum vidimus, ut pro allio æquo pondere tantundem optimi piperis rotundi mercatores habuerint. Apud eas gentes allium complures medicos uſus obtinuit: namque utuntur ejus ſucco calido in aurem inſtillato ad ſurditatem antiquam,

quam, ad tinnitusque in iis obortos. Allio recenti contrito, vulnera recentia, effatu digna ſanant : dolores ventris, ubi non ſit febris, eo eſitato diſcutiunt : ad vermes ſelicius ipſum eſitant : ad acores capitis in pueris uſto cum melle illiniendo utuntur: ad tuſſim antiquam coctum utiliſſime devorant. Ad venena, atque ad venenatos morſus ferarum venenoſarum, copioſè crudum eſitant, ſuccumque ejus per os aſſumunt, vel vinum in quo fuerit decoctum, merum, generoſumve liberalius bibunt. Hirundines alicui parti interius adhærentes, allio vorato expellunt : ad urinam movendam ipſum eſitant, non minus quam ad ventrem emolliendum, laxandumque. Inſeſſio decoctionis allii ſicci cum ejus caulibus ad movendos menſes mulieribus eſt utiliſſima, præfertimque in puerperis ad ſecundas expellendas, idemque præſtare obſervant mulieres, ſi iſtius decoctionis vaporem in uterum exceperint, ad quem uſum ſuffitum ex allio cum ſuo caule ſuper carbones uſto utiliſſimè frequentare ſolent. Naſcuntur non longe à flumine radiculæ parvæ in terra, cyperis rotundis haud diſſimiles, exterius flavi coloris, intus albæ, quæ dulciſſimæ ſunt, unde multi iis crudis veſcuntur : ex ipſis lac expreſſum dant tuſſientibus, atque ardore urinæ vexatis. Hanc Arabes Zeilin vocant, Serapioque ipſius meminit. Theophraſtus vocat Melinatalam, & Plinius Antalium, & noſtri Cyperum eſculentum.

Caput XIII.

De Plantis Cerealibus, atque de leguminibus quibus Ægyptii abundant.

Cerealibus omnibus seminibus Ægyptii, quibus & Itali, abundant, quippe tritico, secale, hordeo, zea, avena, milio Æthiopico, quod Dorà appellant, vicia, trifolio. Triticum abundè ea regio producit: seritur initio mensis Novembris posteaquam aqua Nili ex toto à terra absorpta est. Complures sunt, qui terræ siccationem ad serendum non exspectant, mense Octobri triticum in aquam projicientes, quod in aqua nascitur, crescitque sensim, ac sensim, veluti aqua adhuc tellure inundante sensim ac sensim ex toto absumpta, terraque siccata radicibus firmatur. Ita crescit in pinguissimo solo ex Cæli calore, ut ad Nativitatem Domini omnes segetes spicas proferant, quæ toto mense Februario perfectam maturitatem nanciscuntur. Provincia Memphitica, Masrim dicta, abundè triticum producit. Sed Saitica provincia, atque Thebaica ita tritico abundant, ut ingentem quantitatem magnas naves onerantes, Cairum quotannis convehant: quo horrea (vulgo sonè vocata) ob annonæ alicujus futuræ caritatis timorem, ad servandamve annonæ ubertatem, singulo septennio replent. Qua providentia ibi plerumque vili pretio triticum venditur, atque ita ejus copia incolæ juvantur, ut omnes cum urbani, tum rustici, tum divites, tum pauperes triticeo pane vescantur, atque nutriantur. Triticeæ paleæ ad equorum pabulum utilissimæ sunt, namque ibi paleas siccatas quodam molendinario instrumento conterunt, eas triticeis furfuribus parvitate proximas reddentes, quas ita paratas hordeo mixtas suis equis in pabulo continuo

tinuo exhibent, quo probe ii nutriuntur, & robuſtiſſimi evadunt. Hordeum ibi ad equos alendos abundantiſſimè ſerunt, ac colligunt: Secale non multum delectantur: Oryzam abunde in toto Ægypti ſolo aquis irriguo ſerunt, & magno ſtudio colunt, quod cibus ſit Ægyptiis longè aliis cibis frequentior, & familiarior. Decoquunt in jure pingui vervecis donec veluti cruſta pultis reddatur, & poſtea copioſum butyrum addentes, ebulliendo ipſum adhuc perfectius concoquunt: hocque epulum Pilà nominant. Serunt zeam, viciam, atque medicam pro equorum, mulorumque pabulo. Milium habet Ægyptus etiam, ſed non multum, quod pullorum gallinaceorum cauſa ſerunt. Habent, & copioſius quoddam genus milii, quod Æthiopicum appellant, & proprio nomine Dorà. * Planta fert caulem arundinaceum, geniculatum, Veneto milio (ſorgo vulgo vocato) longe brevius, foliis itidem brevioribus, minusque latis: paniculam fert magnitudine, atque figura ſorgo proximam, non tamen ſurſum, ut in ſorgo, rectè, actam, ſed deorſum flexam, ſeminibus parvis, rotundis, ſorgi granis ſimilibus innumeris congeſtam, colore extra, intusque candido; ex ipſorum farina panis conficitur albus & eſui acceptiſſimus, & utiliſſimus. Eodem tempore quo triticum ſerunt, eodem & linum, quo maximè Ægyptus abundat, & trifolium, & reliqua omnia cerealia ſemina, atque leguminoſa ab Incolis ſeruntur. Inter legumina quod primum bonitatis locum habet, eſt quod Mas appellant: poſt ipſum bonitate, piſum, phaſeolus, cicer, lens, faba, ervile, cicercula, aracus, fænugræcum, & ervum. Ægyptii omnibus leguminibus præferunt Mas ab omnibus Arabibus vocatum, & planta, & ſemine piſo ſimile, ſed longè minus: crediderim tamen ego eſſe piſi genus, ſed eo longe ad victum utilius, quando facilis ſit coctionis in paſſivis qualitatibus. At de hoc legumine in fine primi Libri iſtiuſce Hiſtoriæ cum à nobis accuratè actum ſit, nihil aliud addimus. Piſa huic ſuccedunt, quibus coctis familiarus ad cibum utuntur, atque viridibus crudis quoque indigenæ perinde ac noſtri veſcuntur. Phaſeolos multorum generum habent, in-

* *Vide Tab. III. Num. 5.*

ter quos albos Italis ſimiles, & parvos, lentis ferè magnitudine: libentius eſitant Ægyptii, Turcæque plurimum eſu leguminum delectantur, atque adeo, ut in conviviis, quæ fiunt à Pro-rege Ægypti, Turcarum Imperatoris ſumptu, in aula auditoria Cadis, Spais, Chiauſſis, Beis, Sangiachis, atque aliis Turcis, dapes majori ex parte ſint legumina varia, ſcilicet Mas, piſa, phaſeoli albi parvi, ciceres, lenteſque.

Caput XIV.

De Plantis non eſculentis, quæ in Ægypto naſcuntur, atque de ipſarum uſu.

Innumeræ ferè plautæ in Ægypto naſcentes etiam obſervantur, non ciborum uſui ſervientes, cujuſmodi ex iis, quas potuimus obſervare, eſt Kali, cujus multæ ſunt differentiæ Kellù vocata ab Arabibus, Harmel Armala, Melanthium papaver nigrum, hyoſciami genera quædam, ſed album præſertim, urtica à noſtratibus differens lini ſemine, oſſar, cujus fructus beidelſar vocant, viola, gramen, melilotus, viſnuga, ſchœnanthus, iris, pſyllium, beem album, & rubrum, hermodactylus, buzeidam, abelmeluch, papyrus, ſtratiotes aquatica, cyperus rotundus, artemiſia alba, roſa ſofferra, ſesban, bon, gelſiminum Arabicum, calaf, ſeu ban, goſſypium, uzeg, agialid, glans unguentaria, liguſtrum, tamariſcus, acacia, ſecamonè, caſſia cathartica, balſamum, tamerindus, atque lanifera arbor. De his modo ſingulis enumeratis ſtirpibus non eſculentis, particularis ſermo à nobis habendus eſt. Ex Kalli plantis Kellù vocatis, eas, quas in Libro de Plantis Ægypti ſcriptis tradidimus, altera ejusdem generis planta poſtea nobis innotuit, ex qua uſta cineres ad vitra conflanda, atque ad ſaponem parandum etiam fiunt.

fiunt. Hanc Petrus Bellonius prope urbem, Raſſit vocatam, in quadam planitie, ſe vidiſſe tradidit; quam plantam eſſe Anthillidem Græcorum credidit, neque immeritò ſane, cum hæc planta habeat ramulos rectos, folia parva lenti ſimilia, ſed longè minora, totaque planta guſtui ſit ſalſa, in ſabuloſiſque, & ſalſis locis naſcatur. Armale multis in locis naſcitur qualis profecto à Dioſcoride expreſſa videtur. Violas habent & inibi naſcentes, & aliunde perlatas, quibus familiarius, atque utilius omnes in illo calido cælo utuntur. Melanthium quoque & nigro ſemine, & albicante odoratum ibi copioſius naſcitur. De papavere nigro quod copioſè ibi provenit, ſuperius dictum eſt, quippè ipſius plantæ contuſis capitibus, preloque expreſſis, ſuccum meconium vocatum emanare, atque ab iisdem ſcarificatis lacrymam exire, quæ ab Arabibus Affium dicitur, atque à noſtris Opium, quæ eſt exitiale venenum refrigeratorium, de cujus viribus, atque uſibus cum ſæperius latis, ſuperque dixerimus, nihil aliud in præſentia addere voluimus. Hyoſciamum album in multis locis provenire vidimus, ſed privatim circum magnas eas pyramides in ea planicie copioſius, cujus quidem plantæ imaginem dabimus in altero libro de Exoticis Plantis, quas nos ſpatio annorum viginti, quo & Venetiis Medicinæ cauſa fuimus, & Patavii Medicam materiam ordinarie in Patavino Gymnaſio profeſſi ſumus, collegimus; eo enim temporis ſpatio multa à multis ex variis locis accepimus: qui liber ſimul cum hac hiſtoria, quam nunc ſcribimus, evulgabitur. In ruderibus Alexandriæ, & antiquæ Memphis, quæ nunc extant in ruinis ſolummodo, hæc planta naſcitur. Urtica ſemine lini copioſius provenit, cujus profecto vires, atque uſus aliàs abundè diximus. Naſci etiam in locis humentibus Oſſar planta, & gramina multa, & melilotum, quam plantam Alchimelech vocant, in Libro de Plantis Ægypti diximus. Gingidium quoque, quod viſnagam multi appellant, Cairo per Nilum flumen Alexandria navigantes, juxta ramum Caliz vocatum, non procul ab Oppido Raſſit appellato, copioſiſſimè naſci offendimus, cujus quidem plantæ umbella-

rum ramulis ſiccatis ad uſum dentium detergendorum magno comodo uti frequentius ſolent. Habent & plantam Papyri in Nilo flumine naſcentem, cyperumque rotundum, quam plantam nos in ejusmodi fluminis ſuperciliis humentibus copioſam ſæpe manu noſtra decerpſimus, quippe rotundas radices habentem, & grandiores quidem quam ullis aliis in locis unquam fuerint inventæ. Habent & quasdam radiculas ſubtiles coloris flaveſcentis, & ſapore ſubdulci, cum quadam lævi excalefactione, quas Buzeidam vocant, quæ radices uſque adeo ſimiles videntur radicibus Polemonii, quas Officinæ ben album appellant, ut aliquando easdem eſſe crediderim. Hæ ad venerem movendam apud omnes in magno pretio habentur, atque ita, ut tunc temporis ſingulæ drachmæ harum radicum ſingulis aureis venderentur. Fatemur & nos ex omnibus Medicamentis ad venerem augendam mortalium memoriæ à veteribus traditis, atque hucuſque à noſtris cognitis, hanc unam radicem omnibus eſſe præferendam. Johannes Brattius Juſtinopolitanus, Medicus maximè eruditus, multos annos Venetiis qui Medicinam fecerat, frigidi, ſiccique temperamenti, atque ita, ut potuerit inter frigidos maleficiatos facile comprehendi, cum fortè Venetiis in Officina Medica ad inſignia Struthii modicum illiuſce radicis caſu deguſtaſſet, faſſus eſt nocte ſubſecuta uſque adeo ipſi venerem fuiſſe excitatam, atque auctam, ut per totam eam noctem ſe in magnum priapiſmum incidiſſe, atque laboraſſe ſuſpicaretur. Non poſſum affirmare, hæc radix an in Ægypto naſcatur, vel aliunde deferatur. Ad hunc uſum etiam habent Behem album, & Behem rubrum legitimum Arabum: quod eſt planta paſtinacæ ſylveſtri ſimilis, radicibus quæ nititur multis, non unica, ut in paſtinacis, brevibus, craſſis, in acutum deſinentibus, per longum rugoſis, non rectè, ſed oblique actis, colore aut rubro, quas † Behem amra, aut albo, quas Behem abiat vocant. Sunt etiam boni odoris, & ſaporis ſubdulcis. Serapio in lib. Simpl. cap. 223. has radices ex Medico Aben Meſuag ita deſcripſit. „ Behem ſunt duæ ſpecies, ſcilicet rubri, & albi, & ſunt „ ambæ

† *Vide Tab. II. num. 6. & 7.*

„ ambæ venæ in magnitudine radicis paſtinacæ parvæ, qua-
„ rum quædam ſunt tortuoſæ. Deferuntur ab Armenia:
„ odor ejus eſt bonus, & eſt in eis viſcoſitas quædam, &
„ utræque ſunt calidæ, & humidæ, & augent ſperma. Avi-
„ cenna vero dixit: Behem eſſe radices carnoſas, aſperas,
„ à ſiccitate contractas: „ Cum errore autem ſtatuit has eſſe calidas, & ſiccas, cum hæc ſemen non augeant, ſed quæ humidæ ſunt: Quod melius à Serapione dictum fuit, eas calidas, & humidas eſſe. Abelmeluc ſunt ſemina, quæ ex Meccha deferuntur cujusdam plantæ ricino ſimilis, oblonga, rotunda, nigreſcentia, extrema in acutum deſinentia, violentiſſima vi purgatoria prædita, atque adeo purgant, ut unum ſemen devoratum cum per vomitum, tum per ventrem violentiſſimè purget ellebori albi modo. At hæc duplicis ſunt differentiæ: quædam majora piſtaciorum cum corticibus ferè magnitudine, atque figura: quædam vero longè minora, eadem tamen figura, quæ nucleis pinis piaſſè ſimilia magnitudine videantur. Hæc longè venenoſiora ſunt, ut medietas unius ſeminis ita exitialis ſit, ut purgando non raro ſævis ſymptomatibus homines qui eam devoraverint, quaſi interemerit. Ab his omnes abſtinent, tanquam à veneno exitiali. Majora vero apud quoſdam ruſticos in uſu exiſtunt. Iridem habent & ipſi in eo ſolo provenientem, at ipſius radicibus non utuntur, quod non ita viribus præſtent. Utuntur iis familiarius ex Græcia, ac vel etiam ex Syria delatis, quæ ſunt admodum odoratæ. Has pro Arabibus, & agreſtibus hominibus pulverizatas ad manus habent, quem pulverem corporibus eorum à balneo inſpergunt. Hanc profecto radicem tanti faciunt Arabes, ut ipſorum nullus ſit, qui duas, vel tres radices collo appenſas non habeat, ipſamque Moſcho odore præferunt, unde apud eos Moſch non immerito appellata eſt. Naſcitur in multis locis Ægypti Schænanthus, ſive juncus odoratus, quo tamen ibi naſcente non utuntur, ſed eo qui ex Arabia defertur, cum Ægyptio longè ſit odoratior, & viribus magis præſtet, quam quæ in Africa tota naſcatur. Habentque flores ipſius quos ad Medi-

cinæ uſum recipiunt: neque illis deſunt flores, etſi non in ea copia, ut herba ſuppetit illis, quod Cameli partes ſuperiores pleriſque in locis depaſcantur, eoque pabulo maximè delectentur: florum enim defectus, vel etiam Galeni tempore dignoſcebatur, qui de eo ita inquit. „ His præterea juncum odoratum ex Arabia allatum immitti præcipit, „ quem neſcio quomodo Schœnanthos, id eſt junci florem „ multi vocant, cum nobis floris copia non adeo ſuppeditet: nam etſi tota advehatur herba, ſunt tamen ejus ſuperiores partes à Camelis ſæpe depaſtæ, veſcuntur enim „ ea, & delectantur maximè „. Neque enim etiam hoc tempore in magna abundantia flores junci odorati Cairi habentur, quod, uti à Galeno dictum eſt, Cameli partes iſtiuſce herbæ ſuperiores maxime depaſcantur. Neque iis qui Arabiæ loca viderunt hoc mirum videbitur, atque etiam non minus qui Camelorum ingentem numerum inibi viventium obſervarunt: etenim in quibusdam locis inter Damaſcum, & Babilonem Arabes affirmant non minus quatuorcentum millia Camelorum vivere. In Arabia verò in qua juncus odoratus naſcitur longè plures obſervari. Quo mirari quiſpiam non debebit, ſi tot numero Camelorum paſtione, qui herbæ ſuperiores partes aſſiduè depaſcuntur, flores Schœnanthi magna ex parte abſumantur, atque propterea in tam magna ex parte abſumantur, atque propterea in tam magna copia non ſuppetant. Quæ ſi Mattheolus perſpecta habuiſſet, Galenum, tantum Medicum, dicentem, ex ingenti copia Camelorum depaſcentium partes ſuperiores herbæ, flores non ut opus eſſet, nobis ſuppeditari, haud riſiſſet. Non enim dixit, quod omnino flores non habeantur, ſed parcius quidem iſtos ob eam cauſam nobis ſuppeditari. Pſyllio quoque ea regio maxime abundat. Herba uſum non habet, at ſemina ejus, quæ quod colore, magnitudine, & figura pulicibus ſint ſimilia, idcirco planta herba pulicaris dicta eſt. Semen verè quidem miraculorum omnium maximum meritò Arabibus dicitur, quod nimirum uſque adeo exile ſemen duas profecto facultates oppoſitas in exceſſu con-

In p°. de Antid.

conſtitutas, deleteriaſque habeat: cortici enim facultas frigidiſſima, humidiſſima, atque epiceraſtica ineſt, qua hoc ſemen interimere poteſt: interna vero ſubſtantia calidiſſima, ſicciſſima, atque interna viſcera corrodens: tritum vero ſemen, in pulveremque redactum intus aſſumptum, validiſſimum purgatorium eſt, cum per vomitum, tum per ventrem, educendo bilem craſſam, pituitamque, non minus quam etiam ſeroſas humiditates. Unde in frequentiſſimo uſu eſt tritum ad drachmam, & geminas etiam, devoratum in hiſtericis mulieribus, atque ad colicos, uterique frigidos dolores. Sed quid amplius de eo dicemus, an non etiam integra ſemina ſolida ad drachmam, & ad geminam etiam dantur, quater aqua optima prius lota, priuſquam mucaginem contraxerint, in febribus ardentibus malignis, atque in peſtilentibus mirabili cum utilitate, cum ab ipſis voratis, ſudor copioſus erumpat, aut venter excernat humores ſummè putridos, fœtidiſſimoſque, eoque modo ægrotos ab iis febribus liberet. Hoc modo non paucos deſperatæ ſalutis vidimus fuiſſe ſanatos, ſed qua ratione pſyllium ſudorem in illos movere valeat, atque ventrem purgare itidem, non eſt iſtius loci diſputatio. De ipſo ſemine ſatis, ſuperque in Libris de Medicina Ægyptiorum etiam ſcripſimus. Demum & hermodactylis quoque Ægyptii non carent ad Medicinæ commodum, præſertimque ad podagricos, & arthriticos dolores tollendos, in quibus nihil videtur utilius: etenim per cibum interius aſſumptus hermodactylus, tum exterius parti dolenti adhibitus, & dolorem tollit, & partem afflictam à futuro dolore præſervat. Quam hermodactyli facultatem inſignem ad podagram finiendam, ſolus Siſè, Medicus Ægyptius, cognoviſſe viſus eſt, qui in ſuo libro de Simplicibus Medicamentis, qui nunc etiam Arabico idiomate ſcriptus apud Medicos Ægyptios habetur, ita de hoc Medicamento ſcripſit. „ Hermodactylus calidus eſt, & ſiccus receſſu ſecundo. Ve„ nerem ciet, ſemen auget, præſertim cum gingibere, cala„ mentho, & cimino, ejuſque doſis eſt ad ſcrupulos duos „ cum ſaccharo. Eſt articulorum theriaca, & præſertim „ mate-

„ materia fluente : compaginum dolorem admotum illico „ compeſcit, pituitam craſſam educit, adſtrictionis eſt par- „ ticeps. Ad membrum, à quo evacuatur, materiarum ef- „ fuſionem prohibet. Stomachum ſummopere lædit. Ve- „ rum ejus noxa corrigitur, roſis, paſſis, calamento, & ci- „ mino : ejus doſis eſt cum eſt ſimplex ſeſquidrachma : at „ cum Medicamentis ſolventibus, ad ſcrupulos duos. In „ ejus locum ſubſtituitur ſarcocolla rubra. „ Inquit in arti- cularibus doloribus „ ejus loco liguſtri foliorum idem pon- „ dus ſupplet, atque ejus ponderis dimidiam dellii ſarace- „ nici.„ Rurſuſque inquit: „Hermodactilus conſtat ex duplici „ ſubſtantia, altera ſolutiva, altera adſtringenti. Cumque „ calor naturalis in ipſo agit, ſubſtantiam tenuem ſolventem „ ſeparat, ejuſque effectum præſtat reſolvendo, atque ma- „ teriam in articulis detentam, quoad ipſam pellat, ad ſe „ attrahit. Deinde ſubſequitur poſt aliquod tempus ſubſtan- „ tia frigida, ſicca, ad illudque membrum redit, & vias, „ ipſumque refrigerat, adſtringitque, prohibet reditum ad „ ipſum materiæ fluxilis, effuſionemque ejus, quod currit ab „ alio loco. „ Itaque Ægyptii habent legitimum hermoda- ctylum, quo, ut dixi, utuntur in arthriticis, podagriciſque doloribus, ſumma cum utilitate. Hincque creditum eſt eas gentes non vexari podagra antiquata, quod nimirum quam primum ejus mali principium ſenſerint, eo ſingulari Medi- camento utantur, quo nedum doloribus præſentibus liberan- tur, ſed quinimo ab eisdem inpoſterum futuris maximè præ- ſervantur. At Medicus aliquis dicet, quidnam ſit ipſorum hermodactylus quo ii Medici utuntur ? an vulgaris officina- rum ? nequaquam : namque radices vulgares, quæ apud no- ſtrates Medicos in uſu ſunt ad purgandum, Chamira vocant, experteſque eas eſſe cujusvis purgatoriæ facultatis longa, certaque experientia deprehenderunt : quando iis copioſius veſcantur mulieres, & crudis, & coctis ſub cineribus, ut ipſarum corpora pinguefiant. Nihil enim eæ mulieres ab eo- rum eſu purgantur, neque quicquam moleſtiæ ſentiunt, eoſ- que bulbos, non ſecus quam caſtaneas, facile concoquunt,

atque

atque digerunt. Hinc noſtri Pharmacopœi, atque Medici intelligant, quanto errore eas radices ad purgandum in uſum recipiant, & ad purgantium medicamentorum compoſitiones; unde & valeant ipſorum catapotia de hermodactylis, & majora, & minora, cum nihil ab hermodactylis purgatoriæ facultatis habeant. Eæ enim mulieres Ægyptiæ nihil magis habent, quam ut pingues evadant, huc animum omni ſtudio intendunt, non ſecus ac noſtræ capillorum comptui. Eas enim ſummopere pinguedo delectat, non modo mediocris, quæ laudabilis eſt, quod calorem foveat indumenti modo, formoſioreſque reddat, perbelle formet membra, inania ſpacia replens, cutem extendens, lucidamque reddens, ſed & multa, quæ inutilis, atque moleſta eſt, corpus gravans, omnium articulorum gratiam, & membrorum formam, delineationeſque obſcurans. In id multis utuntur, præcipua autem ſunt Clyſteres ex jure pinguiſſimo Gallinarum, quæ nullibi pinguiores inveniuntur, quam in hac regione, & hermodactyli noſtri communis uſus, à Mauris Chamira nuncupati, quos avidè, non ſecus atque noſtrates Caſtaneas, ut diximus, comedunt, & crudos, & coctos ſub cineribus. Nullaque mulier reperitur, quæ domi eos non habeat, ut ſine iis vivere nequeant. Ex quo palam fit eos minimè venenatos eſſe, & non modo non ſtrangulare eadem die, ut veteres de Colchico poſteritatis memoriæ tradiderunt, ſed potius eos ſummè nutrire, quod unicuique abſque diſcrimine in ſe ipſo etiam experiri licet, ſicuti & multi ex noſtris inibi experti ſunt. His autem adeo pingueſcunt mulieres, ut earum pleriſque accidat quod Nicomacho Smyrnæo accidiſſe meminit Galenus, cujus corpus ad tantam molem auctum fuiſſe tradidit, ut loco moveri non poſſet, quem ajunt ab Æſculapio curatum. Mulieres Turcas, Hebræas, & noſtrates, ſæpe Nicomacho pinguiores vidi, quæ fortaſſe adhuc vivunt, atque ob adipoſam molem, non carnoſam, uſu prædictarum radicum comparatam, locum mutare minimè poſſunt. Harum radicum facultatem probè & Serapio expreſſit in ſuo libro de Simplicibus Medicamentis, agens de Hermo-

modactylo, &, quod nonnulli illius temporis Medici, vulgaribus hermodactylis, qui sunt Chamira, etiam pro legitimis uterentur, inquit. " Erraverunt autem qui putaverunt, quod „ sit lagia agrestis, quæ ex Africa defertur. Nam illa lagia „ impinguat mulieres, quando assumunt eam, & humectat „ corpora sicca, & augmentum efficit in carne; & „ facit rubere faciem colore bono.„ Quod vero nostrates vulgares hermodactyli, quibus perperam ad purgandum nostri Medici utuntur, sint Chamira Ægyptiorum, eo argumento vel cuique nostrum constabit, quia eadem magnitudo, figura, color, saporque in iis omnibus animadvertatur, atque quod nihilo corpora purgent, neque lædant stomachum, ex nostris quidam pulverem ad drachmam devorarunt, neque quicquam alvus ex ea ejecit humoris, neque quicquam molestiæ sensit. Nisi pulvis ex vulgaribus hermodactylis, quam officinæ Medicæ ad purgandum parant, alia Medicamenta purgantia reciperet, nihil profecto corpora purgaret. Quibus quidem liquido constabit, vulgarem nostrum hermodactylum non esse legitimum, quo Medici ad purgandum in arthriticis, podagricisque doloribus uti possint: & primo, quia nihil purgatoriæ facultatis habet, & quod stomachum nihil lædat, quas duas notas Paulus Ægineta de hermodactylo expressit, sic inquiens. " Hermodactyli radix, & per se, & „ ipsius decoctum vim habet purgandi, privatim arthriticis, „ tunc cum humores defluunt, exhibetur, verum stomacho „ nimis quam adversatur.„ Idem & Alexander Trallianus, Actuarius, & omnes Arabes. Cum vero vim hic noster purgandi non habeat, neque stomacho ullæ molestiæ sit, quis eum pro hermodactylo recipiet? Hermodactylus vero Ægyptiorum, quem Surungiam appellant, est radix itidem Chamira, seu vulgari nostro hermodactylo calore, figura, & fere gustu etiam omnino similis, attamen longè minor, scilicet magnitudine avellanam æquans, eadem vero figura qua vulgaris hermodactylus. Hæc quidem est radix legitimi hermodactyli, quæ sola adsumta, absque aliis medicamentis purgatoriis, vim habet purgandi: atque id quoque proprii habet, quod

quod ſtomacho adverſatur, unde illi ejus noxam corrigunt mixto cimino, aut calamentho. Negant vero plantam quam Mattheolus Byſantio acceptam refert ab Augerio Busbekio Flandro, Ferdinandi Cæſaris Imperatoris apud Solimanum Turcarum Imperatorem Oratore, idque perſuaſi multis rationibus, legitimum hermodactylum eſſe, ob parvam ſuam radiculam rotundæ avellanæ magnitudine, figura vero, colore albo, ac ferè ſapore, Chamira, ſive vulgari officinarum radici omnino perſimilem. An hujuſmodi radices, ſcilicet hermodactylus Ægyptiorum Chamira, atque vulgaris noſtratium officinarum, ſint Colchici Græcorum, ii maximè dubitarunt, præſertimque ex Arabum ſcriptorum confuſione. Serapio namque credidit hermodactylum eſſe Colchici radicem, præſertimque cum ex Dioſcoride ſcribat: " Hermodactylum „ eſſe herbam, quæ in fine autumni floreſcit, & florem „ fert croco ſimilem, & folia bulbi habet, in quibus eſt hu„ miditas adhærens manui, caulemque palmo altum colore „ albo ad nigredinem inclinante: & habet radicem cujus „ cortex eſt niger, & quando aufertur cortex, radix inte„ rius alba cernitur, mollis, dulciſque ſaporis, & turget hu„ miditate. Radix vero eſt rotunda ſimilis cæpæ bulbi, „ habetque itidem hæc radix in medio ſciſſuram, qua caulis „ exit in quo eſt flos: hancque radicem eſitatam fungorum modo „ ſtrangulare.„ Quas notas de Colchico antea Dioſcorides clarius expreſſerat, ita dicens. " Colchicum, aliqui Ephome„ rum, Romani agreſtem bulbum vocant: Autumni exitu „ florem edit croci, candicantem, ab eo tempore folia bul„ bi, ſed pinguiora, caulem palmo altum, ferentem rufum „ ſemen, radicem foris è nigra rufeſcentem, quæ delibrata, „ candida, & mollis ſpectatur, lacteo colore madet, at„ que guſtu dulcis invenitur. Bulbus mediam habet ri„ mam, fiſſuramque qua flos erumpit: Plurimum in Meſſe„ nia, & Colchis naſcitur: ea comeſa fungorum more ſtran„ gulando enecat.„ Hæc Dioſcorides de Colchico; ex quibus apertiſſimè conſtat, & noſtrum vulgarem hermodactylum, & Chamiram Ægyptiorum, quæ idem in ea ſenten-

tia cum noſtro hermodactylo eſt, eſſe Colchici radices, cum ſint rotundo bulbo ſimiles, foris nigreſcentes ex rufo, intus candidæ lactis ſucco madentes, habentque in medio rimam, fiſſuramque, qua flos erumpit, quæ nota videtur ſingularis, floremque exitu autumni edat croco ſimilem albicantem, & poſtea ferat folia bulbi, ſed pinguiora, & caulem palmo altum, cum ſemine rufo. Omnes etenim eæ notæ in omnibus iis maxime, ad unguenque elucent, ſcilicet in Surungen, Chamira, atque vulgari Hermodactylo: hoc excepto, quod ſtrangulando non interimant, præterea quod Surungen purget, ſtomachoque adverſetur, Chamira nutriat, & pinguefaciat, & noſter Hermodactylus aut parum, vel nihil purgeat, atque perinde ac Chamira nutriat. Quid igitur dicendum in tanta difficultate propoſita? Crediderim ego eas omnes radices, quippe Surungen, Chamira, & vulgarem Hermodactylum, eſſe varias Colchici ſpecies, in variis locis viventes, quarum radices, & ob ſpeciei differentiam, & ob varii ſoli in quo vivunt temperamenti varietatem, variæ quoque facultate evadunt, atque non minus etiam ex vario anni tempore, in quo eæ radices è terra effodiuntur, facultate quoque variare animadvertuntur. Quod de Colchico Dioſcorides expreſſe affirmavit, dicens, autumno radicem eſſe lethalem, quæ ſtrangulando interimat, nimirum quod tunc temporis in ipſius radicis eſſentia prævaleat ſubſtantia humida; cruda, craſſa, & viſcida, qualis in fungis obſervatur, majori ex parte calida, ſicca, tenuique, per flores qui hoc tempore à radice exeunt, excluſa. Quod Dioſcorides expreſſiſſe viſus eſt, cum dixerit, exitu autumni hanc radicem lacteo ſucco turgere. Igitur hoc tempore lethalis eſt hæc radix, quod abundet humido, crudo, frigido, craſſo, viſcidoque, qui, ut in fungis, adhærendo gulæ, tracheæque arteriæ, ſtrangulat, atque eo magis ſi in frigido ea radix fuerit enutrita cælo, ut in Colcho, vel in loco frigido, & humido, opaco, quod hæc natalia augeant in iis radicibus, & copiam ſubſtantiæ crudæ, frigidæ, craſſæ, viſcidæque ſtrangulantis, & qualitatem. Per æſtatem vero

hæc

hæc radix, quippè ejus cruda humiditate ſtrangulante, per hyemen à calore ſubterraneo excocta, atque fere ex toto per ampla folia, & caules craſſos, qui vere ex radice prodeunt, excluſa, remanente in radice majori ex parte ſubſtantia calida, ſiccaque, & tenui cum quodam humido excocto, redditoque utili, medicamentoſa, haud ita humanæ naturæ adverſa obſervatur; quinimo ex calida, ſiccaque facultate, quæ in iis radicibus tunc temporis prævalet, neceſſe eſt, ut in ea ſit quædam facultas deterſoria, proindeque & purgatoria, cujusmodi videtur in Colchici radicibus, quæ in Italiæ locis ſoli expoſitis æſtate effodiuntur, eæ namque carent facultate ſtrangulatoria, & medicamentoſæ ſunt, ita ut à calore noſtro vincantur, atque majori ex parte, aut ex toto in ſtomacho concoquantur, unde aut nihil purgant, aut parum quidem. Quæ vero in locis calidis naſcuntur, æſtateque eruuntur, nihil purgatoriæ facultatis habent, quin imo ex toto ipſarum ſubſtantia cruda, viſcidaque minus, in cælo valde calore abundante; eaque tota coctione etiam utili reddita, calidæ, igneæque prævalenti permixta, reddùntur eſculentæ. Cujuſmodi ait Serapio eſſe illas, quæ ex Africa deferuntur, quas ait lagias vocari, id eſt bulbos ſylveſtres, quibus veſcuntur mulieres, ut pinguefiant. Proinde reprehendit eos, qui eas pro hermodactylis recipiunt, cum eæ in eo calidiſſimo cælo ex calore concoquente exuantur omni medicamentoſa qualitate. Hincque vulgaris hermodactylus eſt radix Colchici in Italiæ locis ſoli expoſitis per æſtatem è terra cruta, quæ idcirco parum, aut nihil habet facultatis purgatoriæ, exuta tamen eſt ea ratione, qua dictum eſt, omni ſtrangulatoria facultate. Eædem ſunt, quæ in Africa radices habentur, ſed ex cæli caliditate, adjuvante etiam quadantenus illiuſce ſoli fortaſſe bona qualitate, omni medicamentoſa qualitate exutæ, eſui redduntur maximè utiles, unde probè nutriunt, & ſaginant. Surungen vero Ægyptiorum, quæ ſunt radiculæ parvæ ſimili figura, albo colore, ſaporeque fere omnino, etiam eſſe Colchici radices, minimè eſt dubitandum, cum omnes notas Colchici habeant: noſque aliquando ex Creta

Insula accepimus radiculas parvas, quæ & flore croci albo, & aliis omnibus Colchici plantam verè quidem exprimebant, atque ex Syria etiam, quas cum iis, quibus Ægyptii utuntur pro Surungen, planè convenire deprehendimus: idque proprii habent, quod valenter purgant per se solæ, si exhibeantur absque alio medicamento purgatorio, atque etiam stomacho adversantur, ita ut ad eam noxam evitandam necessarium sit iis permisceri quidpiam aromatici medicamenti, stomacho amici. Atque hæc sunt, quæ de hermodactylo fuerant à nobis considerandæ.

Caput XV.

De quibusdam aliis fruticibus, & arboribus, quibus Ægyptus abundat.

In multis locis, non procul à Memphi nascitur Artemisia alba magna, fruticat enim latissimè ramulos expandens, atque duobus, vel tribus cubitibus altos, floribus umbelliferis aureis senecioni proximis. Abundant Ægyptii rosis communibus, & rubris vulgo Damascenis vocatis. Habent & colore easdem albas, & flavescentes, quod & Bellonius animadvertisse visus est. In Medicina præcipuum usum habent communes, carneo scilicet colore, ex quibus, penuria Damascenarum, saccharum suum rosatum parant, quo ibi & sani, & ægri familiarius utuntur. Nascitur & solanum somniferum, cujus radice utuntur ad homines somnolentos, amentesque reddendos. Nascitur & Nux metella, & Datura Indorum, quarum ex seminibus Latrones bellaria parant, quæ in caravanis mercatoribus exhibentes, largumque somnum, profundumque inducentes, aurum, gemmasque surripiunt, & abeunt: ii enim triduo quandoque somno stupefacti,

cti, non expergiſcuntur. Secamonè inibi maximè luxuriat ad pergulas ornandas: ejus ſuccus purgat Scamonii modo. Habent & plantam, quam Moſch vocant, cujus ſemen Abelmoſch itidem dicunt. Planta eſt ſimilis Bammiæ, ſed longè major, & vegetior: producit ſemina parva nigra ſimilia ſeminibus Abutili Avicennæ, quæ reſpirat moſchum Orientalem, quo moſchum adulterant. Habent & convolvulum quemdam quem Arabicum vocant, quæ planta ſerpendo ſcandit arbores, in altumque fertur, folia ferens viticis, & flores ex caulium cavitatibus ſimul multos, quippè tres, aut quinque corymbos modo producit: flos vero, colore, magnitudine, atque figura ſimilis eſt Nilo Avicennæ, quem vulgus florem noctis appellat: ſemina ſunt parva, rotunda, piloſa, ſimilia orobis: ſed de his duabus plantis egimus in Libro de Plantis, qui una cum hac Hiſtoria evulgabitur, imaginemque utriusque plantæ ibi libenter dabimus. Naſcitur itidem ibi copioſius glans unguentaria, quæ frutex eſt arboreſcens, foliis leguminoſis, ſumacho proximis, ſed minoribus tamen, albicantibus, fructusque fert oblongos piſtaciis ſimiles, carnoſos, pulpa molli, candida, pinguique ſubdulci præditos, ex quibus expreſſis oleum eliciunt, quod cujusvis odoris ſit expers, idcirco ad unguentorum odoramenta paranda eo utuntur. Hæc planta nititur radice longa, craſſa, carnoſa, molli, albicante, inodora, ac ferè ex toto inſipida. Naſcuntur & ibi Sesban, frutex ſiliquatus, viſu pulcherrimus, quo ſepes contexuntur: Soffera, quæ ſenæ ſpecies creditur, eſt tamen planta perennis. Gelſiminum ex Arabia Felici, cujus flores non ſimplices, ſed pleni duodecim foliis conſtantes ſunt, noſtris longè majores, atque odoratiores. Goſſipium vero, & herbaceum, & arboreum Ægyptia terra copioſè producit. Balſamum ibi non naſcitur, ſed ejus plantæ ex Felici Arabia, cujus ſolum balſamo ſemper natale fuiſſe à nobis aliàs demonſtratum eſt, deferuntur, in viridariisque inſeruntur, & magno ſtudio à topiariis coluntur, ut vivant. Inter olea enim quæ Mauris ſunt familiaria, præſertim vero Nobilibus, & Regibus gratiſſima, in magnoque honore habita, duo

ſunt

ſunt, alterum, quod Dunelzachum appellant, quod in Judæa provenit, magnique eſt uſus ad dolores frigidos, ad nervorum convulſionem, maximeque ad dorſi dolorem in mulieribus. Alterum eſt liquor balſami, nunquam ſatis laudati, quod ex Arabia Felici afferunt. Oleum hoc pretioſum ad multa interius aſſumunt, atque exterius partibus adhibent. Intus enim aſſumptum ventriculum maximè roborat, coctionem juvat, flatus digerit, menſes elicit, dolores omnes levat, colorem, & anhelitum commendat, obſtructiones aperit, juventutem conſervat. Exterius vero omnes dolores ſimiliter frigidos tollit, tumores diſcutit, convulſioni, & paralyſi ſuccurrit, ad quascumque nervorum convulſiones utiliſſimum eſt: à flatibus ventriculum liberat, tumores, & lienem emollit: vulneribus, atque ulceribus valenter remedio eſt. Horrores ſpina inuncta diſcutit, unde ad febres periodicas finiendas maximè commendatur, ſed de ipſius, & viribus, & uſibus aliàs à nobis ſcriptum eſt. Abundat & liguſtris ubique locorum in ſuo ſolo naſcentibus Ægyptus, quæ el Hanne nuncupant. Hæc vero arbor fruticoſa magni uſus, & in ea regione, atque in aliis provinciis eſt, privatim vero ipſius folia pulverizata, quibus quidem pulverizatis, aqua vel ſimplici, vel roſacea ſubactis, capillos mulieres rufo colore inficiunt, caputque & cerebrum hoc medicamento ſanum conſervant, cum non modicæ adſtrictionis ſit particeps. Ad febrium ardorem, atque vehementiam, nullum aliud remedium efficacius invenere, quo refrigerentur. In balneis hoc foliorum pulvere ex aqua ſubacto utuntur, non tantum eo pedibus adhibito emplaſtri modo ad eosdem flavo calore tingendos, ſed multum plus ad eos roborandos: quod maximè præſtat & ſiccando, & adſtringendo. Ifiuſce arboris flores magna utilitate olfaciunt & ad febres, & ad alios morbos, nec non frontem ad reprimendos calidos vapores illinunt. Quod cognoſcentes Mauri, ipſum familiariſſimum habent, nullumque ægrum invenias apud quem hujusmodi flos non reperiatur. Ex eo aquam ſtillatitiam proliciunt ad fluxus ſummè utilem, atque ad ſanguinis rejectionem, ac

ad

ad uteri fluxionem. Ex iisdem floribus oleum parant summè utile ad vulnerum inflammationes, ad capitis dolorem à calidis humoribus, vaporibusque provenientem. Liguſtri campi vaſtiſſimi conſpiciuntur non procul à Cairo in via, quæ Hieroſolymam ducit, locusque hic appellatur Canech, & Belbes. Autumno hujuſce plantæ virgulta ſecus terram ſuccidunt agricolæ, inſolant, exſiccant, atque ejus pulverem per totam Turcarum ditionem deferunt, ubi ſummopere expetitur, tum ad prædictos uſus, tum præſertim ad manuum, & pedum digitos inficiendos. Quod quidem omnibus tum proceribus, tum infimæ gentis hominibus communiſſimum eſt, adeo ut multi, & eorum barbam noctu inficiant, in ſacculoque detineant, mane autem ejus aqua lavent. Arabum mulieres liguſtro non modo ipſarum digitos tingunt, ſed & totam manum, & pedem. Mentum autem acu multiplici foramine perforant, deinde liguſtro tingunt, veſtigiumque hoc Aluſen vocant. Plerumque in aquam, quam ægris ſunt propinaturi, liguſtri, & Ban flores injiciunt, ut potus & gratior ſit, & vires magis reficiat. Qui vero eorum aquam bibere negligunt, ut ſaltem eos olfaciant, efficiunt, ipſique flores parietibus appendentes viſuntur, ut aërem puriorem, & frigidiorem reddant: ſicuti autem ocimum apud nos fovent in figulinis vaſis ubique ſuper feneſtras mulieres, aliique in cænaculis, & viridariis, ſic longè præſtantiorem liguſtri plantam alunt Mauritanæ, omnesque ædes, & deambulatoria, non ocimum redolent, ſed liguſtrum, quod fragrantia, & corde roborando ocimum longe antecellit. De planta vero, quam Callaf & Ban appellant, idem dicendum profectò videtur, ſcilicèt, quod Ægyptii eam non minori arte, cura, atque diligentia alunt, cum ex ea planta innumeras ferè capiant utilitates, & oblectamenta. Ex floribus aquam præſtantiſſimam parant, maximè autem Damaſci, quæ adeo viribus roborandis præſtat, ut nullam, quod ſciam, nos habeamus, quæ huic comparari poſſit, cum ſuaviſſimum ſpiret odorem, quo mirificè animi deliquio detentos juvet. Hanc plantam non rectè vel etiam auctores Arabes cognoviſſe, licèt Avi-

cenna ſæpè & in Libro ſecundo, & in Libro quarto ejus meminerit, mihi perſuadeo, multoque minus Avicennæ interpretes, quippe qui hæc nomina Callaf, Dechen el Callaf, ſalicem, ſalicis aquam, & oleum de ſalice verterunt. Tantum autem abeſt, etſi ſimillima ſit ſalici latifoliæ, humilique, qua ratione aliàs credidi eſſe ſalicis ſpeciem, Callaf, ſalicem eſſe, ut potius plantæ ſint omnino diverſæ, ſiquidem eæ & nomine, & viribus, & forma differunt. Primum enim harum plantarum nomina apud Arabes varia ſunt: unum Callaf, & Ban nuncupant, alterum vero, quippe ſalicem Saffaf, non autem Saſſas, ſeu Safaf, ut malè legerunt Avicennæ interpretes; facultatibus quoque evariant, alterum quidem ſuaviter olet, alteraque planè inodora, ſcilicet ſalix. Callaf utuntur Mauri in febribus ardentibus, peſtilentibusque, hæc vero, ſcilicet Salix in iis inutilis eſt. Ex floribus Callaf aquam ſtillatitiam proliciunt, cujus vires abundè explicare non poſſem. Ex iisdem & oleum conficiunt ad multa magni uſus. Rurſus Callaf folia habet Ceraſi ſimilia, per ambitum ſerrata, quæ ad rotundum pergunt. Quæ planta tantùm in hortis Regum, Procerumque ob ejus odoris ſuavitatem incredibilem diligentiſſimè, omnique ſolertia colitur ab agricolis: & quod ex ejus floribus magnum quæſtum accipiant: quibus profecto conſtabit, Callaf, ſive Ban verè quidem ſalicem non eſſe: attamen cum latifolia Salice magnam habet, & foliis, & floribus convenientiam, præterquam quod, ut Salices, amat & ipſa Callaf loca humida, fert tamen flores inodoros. Quare Callaf, etſi Salici latifoliæ ſimilis ſit, verè tamen Salix non eſt, cum ſit odorata, & aromatica, neque multum intereſt, ſi quis eam plantam Salicem aromaticam vocet; Eſt vero arbor fruticoſa, humilis, ligni materia lævi, foliis ceraſum quandantenus æmulantibus, per ambitum ſerratis, in ramorum ſanè extremitatibus exorientibus, ramis rectis, enodis, flexibilibus, colore flaveſcentibus, floribus luteis, quos antequam folia producat Decembri menſe producit innumeros alios flores ſuavitate præſtantes, æquè per intervalla diſtantes: folia autem produ-

cit

cit ubi exciderint flores, qui ſunt veluti quidam globuli oblongi, lanuginoſi, in luteum albicantes, aut lutei, ſuaviter olentes, inter foliorum alas caudicibus adjacentes, lociſque humidis gaudet hæc planta. Ex floribus aquam proliciunt, quam Macaallaf appellant, quam in cauſone, in febribus malignis, & peſtilentibus, tam interius, quam exterius utiliſſime affectant: hac aqua profecto nihil ſuavius, nihilque fragrantius eſt. Eandem ad Turcarum Imperatorem quotannis è Cairo, & Syria afferunt, & non modo ad Regem, ſed per omnia quibus Turcæ dominium extenditur loca circumfertur: omnes inquiunt ipſam refrigerare, & humectare. Cairi innumera ſunt viridaria, quæ hac planta abundant, inter quæ pulcherrimus hortus videtur primi inter eos legis periti, quem Siech el Bacchari nuncupant, cujus munus eſt eorum legem interpretari, quem quandoque ægrotantem inviſi. Ad hunc hortum ejus plantæ ſuavitate ducti Conſules Veneti Illuſtriſſimi ſæpe proficiſcuntur. Hortus autem eſt ad orientem poſitus, in ea via qua itur Hieroſolymam. De quibusdam vero arboribus aliis, quibus Ægyptium ſolum abundat, in Libro de Plantis Ægypti ſatis ſuperque ſcripſimus, quippe de Uzeg, Agialid, Acacia, Tamariſco, Caſſia cathartica, Tamarindo: proinde nihil iis, quæ de ipſis in eo libro dicta fuere, addimus. Eſt demum quoddam lignum rectum, longum, digiti craſſitie, quod Meſuag appellant, utiliſſimum profecto ad dentium ſanitatem conſervandam. Nullum unquam in Ægypto dentium aliquo affectu correptum videre potui, neque ſenem dentibus carentem, quod certe mirum eſt, ſicut apud nos frequentiſſimum, idque illis evenire exiſtimavi, quod dentium indigenæ omnes maximam curam gerant: nam à ſomno ſurgentes, ubi ſe laverint, ornaverintque, per horam dentes fricant, vel Ban, vel granati, aut ejusmodi alio ligno, maximè vero prædicto, Meſuag vocato, quod è Meccha afferunt, eorumque Prophetæ lignum nominant. Hujus ramuli alterum caput, extremumve contundunt, aqua macerant, mandunt, molleque reddunt; deinde dentes eo fricant, ſicque eos detergunt, &

purgant, hocque modo eosdem à dolore, eroſione, putredine, carie optimè præſervant, eoſque quominus labantur efficiunt, halitumque oris commendant, gingivas roborant, eas ab eroſione, & fluxione conſervantes. Multi ad id Faufel ore detinent, quo & Indos adeo ſuos dentes ſervare dicunt, ut propterea dentium dolorem & India non norit. In maximo Mecchæ delubro ex Meſuag dentrificia quotidie, aquamque in pelvi parant, vanè populo perſuadentes, Mehemet quacumque nocte eo venire, ſeque lavare, nec non ejus dentes fricare, quod ut veriſimile reddant, eorum aliquis ſe lavat, dentifriciis utitur, prophetamque id feciſſe ſimulat. Omiſſis vero eorum vanitatibus, hujusmodi dentifricia ob eas, quas dixi cauſas, utiliſſima ſunt. Quare cuperem, ut apud nos in uſu venirent: hoc quidem modo dentes maximè præſervarentur, non ſecus quam apud Ægyptios, atque Indos fiat.

Finis Libri Tertii.

LIBER QUARTUS.

Caput I.

De Animalibus, quæ in Ægypto vivunt, & primum de volatilibus ibi degentibus.

Acturi de animalibus, quæ in Ægypto vivunt, præsertim de iis quæ in illiusce provinciis existunt, primum aves inibi viventes enumerabimus: ipsorumque quædam Ægyptiorum veluti propria considerabimus: mox de iis, quæ in aquis vivunt, atque demum de terrestribus. Ex avibus has inibi viventes observavimus, passeres, turdos, coturnices, turtures, columbas, palumbos, hirundines, noctuas, pisces volantes, vespertiliones, anates varii generis, anseres, cygnos, fulicas, ciconias, grues, aquilas, falcones, accipitres, psittacos, milvos, struthiocamelos, Gallinas cujusque generis. Passeres nullo in loco quam in Ægypto abundantius vivere deprehendimus, atque, ut legimus apud multos, hujusmodi aves tam in locis frigidis, quam in calidis æquè vivunt: similes profecto aliquibus plantis, quæ ubique etiam locorum æquè vivere observantur, cujusmodi est periploca, Secamonè ab Ægyptiis vocata, quæ propria cum illiusce cæli calidioris sit, in Italia non minus libenter vivit, hyemalia vel etiam intensissima frigora spernens, non minus quam Datura Indorum, nostrum laserpitium, atque aliæ plantæ similes, quæ calidiori cælo assuetæ, etiam in locis frigidis vivunt. Turdis non semper gaudet Ægyptus, sed, solummodo mense Novembri, ex Africæ locis in Ægyptum, atque exindè in Græciam, Thraciam, Italiam, atque in alias provincias cæli

frigidioris accedente verè convolant; usque adeo pingues in Ægypto ſunt, & guſtui ſuaves, antea dactylis, atque oleis maturis, pinguibusque enutriti, ut de iis ſolis verè dici poſſit: inter aves turdus. Coturnicibus usque adeo tota ea regio abundat pinguiſſimis, ut ruſtici eas non retibus, ſed propriis manibus, celeri curſu perſequentes, capiant, easque ita vili pretio vendant, ut denario argenteo Maidin vocato, viginti habeantur. Carnem vero habent nigram, duram, inſuavem, haud noſtratibus bonitate, atque guſtu ſimilem. Quæ ſuaviſſimæ guſtui redduntur, ſi ſolo milio plures dies nutriantur, cujus rei nos experientiam fecimus. Turtures noſtratibus majores, & bonitate longè meliores, inibi aluntur in tanta copia, ut domum ferè non reperias in qua innumeræ ſuos nidos ſpontè non habeant, atque non minus cicures, & familiares ſunt, quàm apud nos Columbæ, & inter has ſuaviores eſui exiſtunt, quas Bedoui, ideſt ruſticas appellant. Nos quas Peluſii, ſivè Damiatæ offendimus, guſtui ſuaviores judicavimus. Columbæ, & palumbi perinde ac in Italia abundant, eſui admodum ſuaves. In primo Libro diximus, quomodo Turcæ columbas ſuos extraordinarios tabellarios faciant. Hirundines duplicis generis ibi obſervantur; patriæ ſcilicet, quæ nunquam ab Ægypto diſcedentes, ibi perpetuo morantur: atque peregrinæ, hæ ſunt noſtratibus omnino ſimiles. Patriæ vero toto etiam ventre nigricant, reliquæ non ex toto nigræ, ſed ventrem album habent. Alexandriæ, atque Cairi rudera noctuis usque quaque abundant, columbis ferè non minores, quæ interdiù æque ac noctu circumvolant. Hinc credidi volucres parvas, perindè ac in Italia fit, eas non conſectari, quandoquidem cum has frequentius in die videant, omnis apud aviculas ceſſet noctuarum admiratio, qua ad eas videndi cauſa convolare ſolent. Nos propterea fruſtra ibi (uti in Italia avium cum noctua & viſco ſæpe venationem magno fructu exercebamus) eas capere non ſemel tentavimus. Veſpertiliones, Columbis non minores, in pyramide magna copioſos offendimus, atque non ſine magno & timore, & moleſtia. Alexandriæ in lacu proximo piſces extra

tra aquam ſuper lacus aquam volantes, ſæpe vidimus. Aliqui hunc piſcem Columbum non injuria appellant, à quadam, quam cum Columbis habet, ſimilitudine, perſuaſi. Anates, anſeresque multiplicis generis, & domeſticas, alunt; ſylveſtres, ingenti copia, & in Nilo, & in lacubus ſponte vivunt. Cygni in Nili littoribus non deſunt, ſe ipſos ea aqua oblectantes, nec minus & lacus iis abundant. Harum Avium pelles cum ſuis candidis pennis decorticatas calce condiunt, quibus veſtes nobilium frigoris cauſa muniunt: multosque annos, quod mirum eſt, incorruptæ conſervantur, ſicuti aliæ nobiles pelles, quas hyeme ob frigus geſtant. Lacus abundant fulicibus, atque omnibus avibus aquatilibus, tanta copia, ut lacuum aquæ innumeris iis avibus occupatæ, vix conſpiciantur: facillimo negotio ruſtici illarum avium quot, qualesve volunt, capiunt. Hi nudi, funе ad ventrem pluries circumvoluto, in aquam projecti, ſubter aquam ubi illarum avium in aqua ludentium, obſtrepentiumque ingens caterva viſa eſt, natantes, manibus pedibus avium apprehenſis, quotquot volunt capiunt, quas funi circumvoluto appenſas, natando extra lacum deferunt: hinc vili pretio ibi habentur, & quod iis lacus abundent, & quod Mauri iis non veſcantur. Ciconiis, atque Gruibus ea regio non eſt deſtituta, quæ aliundè ex longis provinciis hyeme in Ægyptum volant, ſerpentesque occidunt, ciconiæ præſertim: unde apud eas gentes vel etiam nunc in magno honore habentur, non minus quam & Ibis vocata avis, quæ & ipſa ſerpentes oppugnat, hæcque tota nigra eſt, gruinis cruribus, roſtro adunco, ciconiæ magnitudine, atque figura. Altera vero eſt, non ex toto nigra, graciliori & capite, & collo conſtans, pennæque in hac ubique candidæ, præter caput (ut & Herodotus expreſſit) cervicem, extremasque alas, & nates, quæ partes nigreſcunt. Avis manſueta, & facilè cicuris, apud Turcas proceres & patricios Ægyptios, cum aliis volatilibus alitur. Utramque & nigram. & candidam indiſcriminatim ubique locorum in Ægypto juxta Nilum, & lacus omnes vivere à multis accepi. Ab hac ave traditum

à

à veteribus eſt Clyſteriorum uſum cognitum fuiſſe, quod hæc avis roſtri aduncitate aquam in ventrem injiciens, iſta eundem clyſteris modo proluat: quod an verum ſit, verè quidem ſcire non potui. Accipitres quoque habent cujuſvis generis, quibus Arabes ad venandum familiarius utuntur ; nec non & Aquilis leporariis, & Falconibus præſtantiſſimis, nobiliſſimisque abundant , quorum plures in varias provincias ad Reges ſæpe Maurorum aliqui convehere ſoliti ſunt. Aliquando ad Henricum Quartum, Galliarum Regem, complures ex iis delatos vidimus. Milvi quoque apud eas gentes familiarius vivunt, cicuresque admodum ſunt. Hi magnitudine, colore , atque figura magnos Capos noſtros Gallinaceos omninò æmulari videntur. Pſittaci complures ex Æthiopia per Nilum flumen æſtate flumine increſcente, deferuntur, hique virides ſunt, magnitudine parvos Columbos æmulantes. Vidimus nos quosdam illorum paſſeribus noſtris haud majores; qui tamen majores , diſciplinæ ſunt capaciores : nulli in Ægypto naſcuntur, ſed uti dictum eſt , convehuntur ex provinciis verſus meridiem poſitis. Abundant itidem Ægyptii ſtruthiocamelis, ità enim deſerta loca copioſos alunt, ut nos in deſerto quo itur Sues, aliquando non minus quam quinquaginta procul ſimul convolare viderimus. Velociſſimi ſunt pedibus , alisque ſimul in curſum motis, atque ita, ut etiam magno celeritatis impetu acti , ungue majori animalia, vel etiam admodum fera, in pectus, vel in ventrem vulnerantes, interimant. Pulli illorum parvi , & pulcherrimi ſunt , & facilè cicures. Caro pullorum parvorum eſui non injucunda videtur, & coctioni commoda : ſed antiquorum, majorumque , coctioni adverſiſſima eſt. Inter alias Aves hactenus conſideratas, Gallinæ ibi numeroſiſſimæ vivunt cujusvis generis, vilique pretio ob id ita habebantur, ut ad ſummum ſingulis Maidinis ſingulæ Gallinæ eo tempore coemerentur. Ibi nunquam Gallinæ glociunt, neque ova incubant, ſed ex ovis in clibano ex fimo equino confecto, ſolaribusque radiis expoſito impoſitis, à calore veluti incubatu pulli omnes excluduntur. Unde ea facilitate naſcendi

omnia

omnia Ægypti loca, & pullis, & ovis gallinaceis maximè abundant. Quo tempore ibi moram traxi, Cairi ad minimum pro Maidino ova quadraginta coemebantur: in villis verò ſeptuaginta habuimus: hinc pullicini, non numero, ſed menſura quadam ſimili ligneæ menſuræ, quam noſtri Quartam appellant, ſine fundo, quam pullis repletam in gremia Maurarum mulierum pro Maidino verſabant. Præter haſce Gallinas, habent & alias non minores anſeribus, maximè pingues, quas Maluffas vocant. Habent & peregrinas ex Numidia perlatas, quæ eſui ſunt ſuaviſſimæ, ibique magno pretio etiam venduntur, adeo ut duæ ſolummodo pro aureo Veneto haberentur. Haſce Gallinas vel etiam veteribus notas fuiſſe ex eo conſtat, quod Varro Meleagrides vocaverit, & Martialis Numidicas guttatas, quæ in plumis nigrantes rhombos habent, in iisdemque aſperſas albas guttulas. Indicæ vero à nobis vocatæ, cælum Ægyptium commodè non ferunt, ut idcirco vix ibi vivant.

Caput II.

De Piſcibus, qui & in Nilo flumine, & in lacubus Ægypti, atque in mari capiuntur.

Nilus flumen piſcibus multis abundat, ſed omnes quos producit pinguiſſimi ſunt. Eſt inprimis inter Niloticos piſces lupus, Venetis variolus dictus, quique adeo ibi augetur, ut vitulum magnitudine æquet, atque etiam longè major, cum inter illos inibi inveniantur ſexaginta uſque librarum ponderis, vilique pretio vendantur propter copiam ingentem piſcium aliorum, quæ ex Nilo ſuppeditatur, emebatur enim

major illorum lupus ad ſummum quarta parte aurei Veneti. Pinguiſſimus eſt, & ſuaviſſimus. Anguillæ ibi capiuntur uſque adeo pingues, & craſſæ, ut brachium craſſitudine æquent, ac vel etiam craſſiores reperiuntur. Sunt optimæ, & guſtui acceptiſſimæ, ſed ipſarum eſus ibi perpetuo non eſt tutus, præſertimque menſibus Aprili, & Majo, quo tempore non paucæ ipſarum cum ſerpentibus miſcentur. Aliqui earum paſtu, tanquam ab exitiali veneno interempti fuerunt, ex totoque ipſarum uſus eſt inſalubris: gignunt enim ſanguinem uſque adeo craſſum, atque lentum, ut morbi exinde graviſſimi excitentur. Eſt quidam piſcis ſquammis candicantibus, ex totoque ut lupus albus, cubitum longus, & admodum craſſus, caput, atque caudam craſſitudine ſimilia habens, at in medio ingens ejus craſſities viſitur, carne conſtat lupi piſcis molliore, & ſuavi guſtu illi non cedens. Huic ſimilis alius gignitur eodem modo craſſus, & brevis, nullis ſquammis, ſed cute molli, & craſſa, ut cutis ſuilla, viridis coloris nigreſcentis, capite magno, & craſſo, qui juxta os utrinque fibram habet longam craſſi pili inſtar. Hic Chriſtianis inibi viventibus eſt cibus admodum familiaris, qui etſi figura Tincæ noſtrati ſit aliquantum diſſimilis, tamen Tincarum genere non dubitavi ipſum comprehendi oportere: Caro etiam, & colore, & guſtu, tincam eſſe confirmat. Alocæ, vulgo Chiepe, ibi majores, melioreſque, quam alibi inveniantur, expiſcantur, quæ fumo ſiccatæ, guſtui acceptiſſimæ redduntur. Mugiles, vulgo Cephali, varii generis etiam in eo flumine vivunt, ſed in pretio ſunt apud eos longi, craſſi, cute quadantenus emaculata, quos Mugiles Arabicos vocant. Lacus hyeme ſiccati, adveniente nova aqua ex aucto flumine, piſciculos parvos gignunt ex putri materia, qui eſui ſunt jucundiſſimi. Horum piſciculorum generationem vel etiam Herodotus meminit. Ranas nuſquam in Ægypto videre potui, excepto Peluſio, Damiatavè: inibi ſolum ranas obſtrepentes audivi, quæ parviſſimæ ſunt, neque incolæ iis veſcuntur. In Nilo quoque naſcuntur Teſtudines omnium maximæ, quæ habent

habent operimenta uſque quaque rotunda, atque adeo ampla, ut rotundum clypeum maximum æmulari videantur. Caro eſt, ſi probè condita rectè coquatur, eſui ſuavis, multumque nutrit. Hujusmodi teſtudines, & majores etiam in Ægyptio mari reperiuntur, operimentaque pro clypeis conficiendis ſervant, etenim duriſſima ſunt. Piſces gignit mare Ægyptium, cum Alexandriæ, tum Raſſit, tum Damiatæ innumeros, & optimos, quorum ingens quantitas ſale condita dimittitur in varias Provincias conterminas, maximèque in Cretam inſulam, è qua vina pro piſcibus revehunt optima, & pro Chriſtianis, & pro Hebræis iſtic habitantibus. Condiuntur etiam piſcium ova ſale, quæ Botarac vocant, quæque in vicinas inſulas mittuntur mercaturæ cauſa, & ipſorum quoque haud parvam copiam Venetias convehunt. Piſces vero iis familiares, ſunt, auratæ, ſolea, barbi, mugiles, acus eſculentus, gobii, cancri, oſtrea, chamæ, tellinæ. In littore maris Alexandriæ, Raſſitum pedeſtre iter facientes, vidimus cancrum parviſſimum, unguem pollicis humani digiti magnitudine non excedentem, tanta curſus velocitate præditum, ut ictu oculi ex litore in mare quaſi convolet. Hunc merito Ariſtoteles cancrum curſorem appellavit: coacervatim è mare in littus aſcendit, catervamque eorum ferè innumerorum in maris littore vidimus. Ex Mare Rubro ſæpe edimus piſces delatos, ſæpiſſimèque tellinas, at noſtratibus longè ſalſiorem guſtum habentes.

Caput III.

De insectis Animalibus, quæ in Ægypto vivunt.

Inter insecta animalia, quibus ea regio abundat, sunt Apes inibi fæliciſſimè viventes, magnoque propter insignem utilitatem quam ex ipsis capiunt, studio, diligentia, & labore, eæ inibi aluntur. Etenim in suis alveariis posita per Nilum flumen locum mutantes, in varia loca vehunt, atque revehunt, cælum temperatius quærentes, atque pabulum copiosum, quo vivant, atque multum mellis gignant. Nos sæpe in flumine eas in naviculis cum alveariis positas offendimus, aliquando Rassit, & aliquando Damiatam, & aliquando supra Cairum versus Sahit navigantes. Itaque ex magna diligentia qua eas alunt, multam copiam mellis, atque ceræ colligunt. Mel est optimum, scilicet albicans, durum, graneloſum, dulciſſimumque, quo in victu plures ex rusticis vescuntur, seneſque præsertim, quibus est utiliſſimum. Ceræque etiam idcirco illis non deest copia, quam soli expositam, atque ex aqua lotam dealbant. Vespæ etiam inibi abundant, ipsarumque privatim genus, quod ichneumon dicitur, quæ vespa id proprii habet, ut phalangium oppugnet, de qua Bellonius rectè quidem inquit. „ Sed & aliud animalculum est „ è vesparum genere, quod ichneumon vespa appellatur, & „ bellum internecinum habet cum phalangio. „ Quoniam vero eorum pugnam vidimus, ipsam hoc loco commemorare libuit. Insecti genus est sanguinis expers, forma api, sive vespæ, vel magnæ formicæ alatæ perquam simili, vespa tamen minus, in terra etiam suum latibulum quemadmodum phalangium faciens. Superat phalangium quandocumque id ex-

In Lib. 2°. Itiner. Observ.

extra ſuum latibulum invenire poteſt at ſi in latibulo id adoriatur, ſæpe numero re infecta redit. Accidit ut ichneumon veſpa, phalangium è ſuo latibulo egreſſum corriperet, atque poſt ſe traheret, quemadmodum formica tritici granum, idque quo volebat impelleret, tametſi non ſine magna difficultate: nam phalangium pedum uncis obvia quæque apprehendens, quantum poterat renitebatur: Ichneumon vero ſuo aculeo, quod inſtar apis exſerit, variis in locis ipſum pungebat. Defeſſus autem iſta pertractione, avolavit hac illac oberrans ad baliſtæ ferè jactum, deinde ſuum phalangium requirens, nec quo reliquerat loco inveniens, ejus veſtigia ſequebatur, quaſi illa odoraretur, non minus quam canes leporum veſtigia; deinde inventum plusquam quinquagies aculeo pupugit, rurſumque pertrahens quo voluit perduxit, iſticque planè confecit. Sunt ibi & copioſi Crabrones, & qui ſub terra nidificant, & qui in arborum cavernis habitant, quique noſtratibus ictus venenoſiores aculeis in homines, atque in alia animalia infligunt. Formicis vero cujusque generis magna copia abundant Ægyptii, & longe majoribus quam in Italia vivant, quæ mordentes magnum dolorem parti inducunt cum magna excalefactione, atque ex iis magnis formicis alatas, volanteſque complures vidimus. Scorpiones, qui in Ægypto naſcuntur, aut albicant colore, aut virides ſunt, triploque majores quam noſtrates ſint, cernuntur. Dicantque quid velint qui Nicandrum, aut Ælianum, aut alios nova genera ſcorpionum facientes ſecuti ſunt: namque in Ægypto nulli alii quam ii duo ſcorpiones reperiuntur: nigriſque ſpeciatim ea regio caret omnino: neque alatos unquam ibi videre potui: & Mauri qui quotannis ad noſtrum Pharmacopolam ſcorpiones pro oleo ad Medicinæ uſum parando deferebant, omnes unanimiter affirmabant, neque nigros, neque alatos, neque alterius coloris, vel formæ uſpiam in ea Provincia viſos fuiſſe: tantummodo ibi albos, & virides reperiri, quorum ictus ſunt uſque adeo exitiales, ut ni partem ictam ex toto ſectione abdicare queant, omnes moriantur, illorum caudæ plerique duos aculeos habent. Plus

timent ſcorpionum illorum venenum, quam faciant aliorum ſerpentum lethaliſſimi veneni æſtimatorum, cujusmodi ſunt aſpides, ceraſtes, & ſimiles alii exitiales ſerpentes. Ego enim cum forte aliquando unum in meo cubiculo offendiſſem, ferè cammari fluviatilis magnitudine, ita timui, ut quotidie numquam dormitum iverim, ni prius totum cubiculum diligentiſſime recognoviſſem, rimatuſque eſſem. Mirum tamen eſt, tametſi adeo exitiales ii ſint omnes, (licet minus albicantes) ut inevitabile fatum viridium ictus afferat, ni pars iſta ex toto, ut diximus, amputari poſſit, Mauros illos ruſticos, qui deferunt pharmacopolis ad Medicinæ uſum, abſque ulla læſione, vel læſionis timore, eos manibus apprehendere, quolibetque alio modo tractare: primum in antiquis ruderibus eos venantur, manibuſque liberè abſque ulla cautione illos apprehendunt, & in utriculum conjiciunt, iiſque repletum in ſinu poſitum inter cutem, & camiſiam, neque ſemper ipſum probè clauſum ad pharmacopœum geſtant, & quia numero eos vendunt, ex utriculo manipulatim manibus apprehendentes eosdem numerant. Aliquando vero non pauci, per os uteris non bene clauſi, egreſſi in ſinum illorum recepti, ab iisdem in ſinu inter induſium inventi manibus comprehenduntur; certè mirum maximè eſt, eos nunquam ab ipſis pungi, etſi eo modo, ut dictum eſt, liberè tractentur. Verè profecto à Dioſcoride traditum eſt, à ſcorpionis ictu ſæva oriri ſymptomata, quæ brevem mortem minantur, ita ut aliquando per diem, & aliquando per horas paucas, ipſorum virus interimat. Noſtrates longè minus exitiales ſunt, exceptis annoſis, quorum venenum eſt exitiale. Sæpe ego fui demorſus à ſcorpionibus nigris noſtratibus, à quorum ictu parum doloris ſenſi, ſatiſque ad ejus ictum fuit, vel ſcorpio tritus parti appoſitus, vel oleum è ſcorpionibus paratum illitum. Ad Ægyptiorum vero ſcorpionum morſus, nullum Medicamentum eſt cui venenum illud cedat, neque vel etiam ulla antidotus potens contra hoc venenum hactenus cognita eſt: ſi vero pars iſta amputari poteſt, ea ſtatim amputata, aſſumptâ unà & theriaca, ſervantur. Poſt ſcorpiones vero & variæ

riæ araneorum differentiæ, ſimulque & phalangia varia, quæ & ipſa aranearum ſunt ſpecies, inibi naſcuntur, à quibus partes demorſæ, in magnum tumorem elevantur, vehementerque dolent, ſed theriaca devorata ad drachmam, & ictæ parti adhibita, à periculo liberantur. Præter hæc animalia inſecta, Ægyptus abundat Scolopendris terreſtribus venenatis. Muſcæ, & culices inibi ita copioſi ubique locorum ſunt, ut abſque linteis tentoriis pauciſſimi ſint, qui dormiant. Sed longè moleſtiores ſunt muſcæ, à quorum morſibus complures Mauri æſtate oculorum angulos ulceratos perpetuo habere ſolent. Apud Mauros Monachos, ut ſe à muſcis tueantur, vidimus ædium januas, atque feneſtras lineis retibus clauſas, & mirum eſt, etſi retium foramina ſint ampla, per ea muſcas intra cameras non ingredi, unde hi à muſcarum moleſtia in tuto ſunt.

Caput IV.

De Serpentibus Ægyptiis familiaribus.

In Ægypto tanquam Africæ parte, quæ ſemper mater Serpentum ab omnibus meritò fuit æſtimata, omnium Serpentum maximè exitialium genera copioſius naſcuntur, familiariusque vivunt. Inter exitialiores vero ſerpentes ibi naſcentes, locum tenent Aſpides, poſt ipſos Ceraſtes, Dipſades, Viperæ, atque alii hujuſmodi in eo ſolo viventes. Ita enim Aſpidum morſus ſunt in Ægypto exitiales, ut, ni pars demorſa ſectione omnino amputari queat, ab una hora uſque ad tres homines intereant. Tres ſpecies iſtius ſerpentis obſervantur, ſcilicet ipſorum quidam Phtyas dicitur, quaſi ſpuens, quod nimirum in homines, & in alia animalia, ut iis damnum faciat, virus exſpuat, collum enim, quaſi ſpacium, quod inter ipſum, atque hominem, vel animal eſt, dimenſus, exporrigit, quaſi

quasi ratione computans, quàm longè spuere debeat, ut aliquem attingat. Serpens est ferè bicubitalis, parvæ viperæ crassitie, quæ crassities incipit à capite crasso, callosas veluti carunculas in fronte habente, & sensim ac sensim in caudam usque subtilem decrescit, atque diminuitur. Colore cinereo, viridique ad auri colorem declinante, visitur, duosque habet dentes perforatos, per quos, apertis in morsu vesicis, virus in partem demorsam effunditur. Morsus usque adeo parvus est, ut in cute, veluti acus subtilis punctura appareat, cutis enim neque inflammatur, neque in tumorem attollitur, neque multum dolet, quia venenum susceptum, tenuissimæ substantiæ, in cute ferè nullo temporis momento detinetur, cum statim intra corpus suâ subsstantiæ tenuitate feratur, excitatque in toto corpore quendam veluti torporem, vel quandam lassitudinem non injucundam, leni quodam sopore, ut demorsi non sine voluptate intereant. Unde Nicander de iis, qui à Ptyade aspide demorsi sunt, meritò dixit: „ Qui cum voluptate intereunt. " Hinc est, quod Cleopatra, Ægypti Regina, mortuo Marco Antonio, ne Romam in triumpho à Cæsare duceretur, mortem potius expetivit, non tamen ex vulnere, aut ex veneno, quo mors ex doloribus vulnerum, & in stomacho ex prava qualitate veneni excitatis, atque ex convulsionibus dolorificis sequatur molestissima, at sicuti in deliciis, & voluptatibus ipsa vitam duxerat, ita cum voluptate mortem quoque oppetivit, adeoque à Ptyade aspide percussa, sine labore interiit. Altera vero aspis Cherssæa dicta est, omnium longissima, quippè quæ quinque cubitibus usque longa appareat, bellicæ hastæ crassitie similis, & colore cinereo aliquantulum subviridi, qualis est fraxini color: oculi ignis modo rubent, versatur in sitientibus, arenosisque Africæ desertis, unde & terrestris dictus est. Tertius Chelidonia dicitur à colore nigro, quo dorsum infectum habet, & ab albo ventris colore, quibus coloribus hirundines conspiciuntur. Cubitalis est, libentiusque vivit circum Nili ripas, ibique habet sub terra suas cavernas in quibus degit. Ab horum Serpentum morsu fiunt singultus frequentes, coloris mutatio, stupor

ſtupor, & frigus membrorum, ac profundiores ſomni, & occluſio palpebrarum, cum vehementia pulſus cordis ei propria, atque doloris vehementia. In demorſis ab iis ſerpentibus continuò membrum ſupra vulnus arctiſſimè ligant, &, ſi pars ſectionem ferat, ipſam ſectione amputant, atque ex papaveris aqua theriacam ad geminas drachmas exhibent, & ſæpe ab diſſecta parte ſanguinem appoſita cucubita extrahunt, ut unà & virus extrahant, mox & theriacam ſauciatæ parti imponunt. Cicurari, & manſuefieri aſpides, quod Ælianus, atque alii tradiderunt, apud Ægyptios nobis argumento ſunt homines Circulatores, qui illos coram ſpectatoribus manibus liberè tractant, & cum ipſis quaſi edoctis varios ludos exercent. Non minori copia ea regio etiam Ceraſtis abundat, qui ſerpentes cubitales, & ampliores ſunt, cinerei coloris flaveſcentis cum quibusdam maculis in dorſo nigricantibus, capite plano, lato, duo cornicula in fœminis, & unum in maribus cochlearum corniculis ſimilia in fronte habentes, at dura, acuum ferreorum modo in acutum deſinentia, quod in aliquibus latum, planumque viſitur, Hæmodite maxillas latiores, amplioreſque præferens, & in aliquibus caput oblongum eſt viperis noſtratibus haud diſſimile. Ex hujus ſerpentis carne Ægyptii Medici, eo tempore quo ibi moram traxi, paſtillos viperinos ad theriacam parandam conficiebant, quem ſerpentem Tahyr appellabant. Alterum latiori capite ſerpentem, duo cornicula in capite gerentem fœminam, atque unum marem, ex Ægypto vivum cum vipera Avicennæ accepimus poſtea, veramque ceraſtem eſſe illum credidimus, tum quod habeat in capite duo cornicula chochlearum ſimilia, tum quod Viperæ ſimilis ſerpens ſit: quæ de ceraſtis ſigna expreſſa veteres reliquerunt: ac tametſi de ceraſtum cornibus antiqui ſatis confuſè ſcripſerint, ſiquidem non cornua, ſed eminentias quasdam cornuum inſtar eos ſerpentes habere affirmarint, & quidam alii in cornuum numero minimè convenerint, nihilominus cum plerique antiquorum duo habere cornua in capite cochlearum modo unanimiter tradiderint, nempe Ælianus, Plinius, Solinus, & cum his alii, atque omnes

ſerpentem viperæ ſimilem feciſſe viſi fuerint, & in corporis magnitudine, & in colore; nos utique credidimus, ſerpentem, cujus imaginem affabrè delineatam * hic dedimus, pro legitima ceraſte accipi poſſe. Serpentem vero alterum, cujus etiam imaginem nos † hic damus, eſſe legitimam viperam Avicennæ affirmare non dubitavimus, cum omnes notæ ab ipſo expreſſæ verè in hoc ipſo ſerpente eluceant. " De viperis ita inquit. †† Et Viperæ quidem ſunt Serpentes capita habentes plana, quæ ſunt lata proprie apud propinquitatem colli, minuti, ſubtilis valde, quorum caudæ ſunt curtæ, ſtrepitum facientes, & ſonitum in inceſſu. " Colorem etiam paulo poſt ſubdidit eſſe flaveſcentem. Hic ſerpens quem hic damus, vix cubitalis eſt; caput latum, atque planum habet in acutum deſinens, collumque anguſtum, ventrem craſſiorem, caudamque brevem, in extremo nigram, colore ad flavum inclinante, cum quibusdam in dorſo, & ventre maculis nigricantibus. Audio nunc cœpiſſe Ægyptios iſtiuſce ſerpentis carne uti pro paſtillis viperinis parandis, quod an verum ſit, nondum certò deprehendi. De viperis vero in Libro quarto de Ægyptiorum Medicina, una cum iſtac Hiſtoria brevi evulganda, ſatis ſuperque egimus, & multa ad illarum notitiam aſſequendam accuratiſſime conſideravimus, quæque alii neglexerant. Dipſas non minus inibi reperitur, quæ, ut audivimus, ſerpens eſt viperæ ſimilis, ſed longè ſubtiliori corpore, minorique capite. Non eſt ſpecies viperæ, multo minus, ut Marſi olim Galeno affirmaſſe viſi fuerunt, eſt ex viperis viventibus in locis ſiccis, aſperis, nitroſis, & ſalſis, à quorum locorum nitroſo, & ſalſo temperamento credidit Galenus ex Marſis hoſce ſerpentes nanciſci qualitatem immodicè ſiccantem, qua ſitim inextinguibilem eorum carnes inducant, unde haſce carnes Theriacam etiam ſitim inducentem reddere credidit. Quod tamen Ægyptii falſum eſſe, longa experientia deprehenderunt, cum ſuos trochiſcos vipereos ex ſerpentibus Tahyr vocatis parare ſemper fuerint aſſueti, qui ſerpentes vivunt in locis ſiccis, ſqualidis, ex toto nitroſis ac ſalſis, univerſum etenim

* *Vide Tab. V.*

† *Vide Tab. VI.*

†† *Viperam Avicennæ, vide Tab. VII. num.* 1.



Cerastes legitima Antiquorum.



ra, mitu
nina
missa.

Cerastes altera, mitu pro Tahur femina ex Ægypto missa.

etenim Ægypti ſolum, præter id quod prope flumen, & lacus eſt, eſt ſqualidum, & adprime ſalſum. Non ob id tamen Ægyptiorum Theriacam ab innumeris voratam, aliquem ex ipſis ſiticuloſum unquam reddidiſſe cognitum eſt. Unde merito Dipſas ſerpens eſt ſui generis, cujus morſus calorem æſtuoſiſſimum inducit, atque ſitim inexplebilem, cum qua demorſi moriuntur, nihil eos juvantibus Medicis præſidiis. In demorſis vero primum arctiſſimè confeſtim partem percuſſam ligant, ſcarificant, aut ferro candente inurunt, exhibentes theriacam per os, atque extrinſecus etiam percuſſæ parti eandem theriacam adhibent. Fert & ea regio complures alios ſerpentes ſummè exitiales, cujusmodi eſt Hæmorrhois, Acontia, ſive Jaculum, Seps, Ophylinus, Draco. Hæmorrhois dictus eſt, quod ejus morſus ſanguinis profluvio interimat, eſtque ſerpens noſtrati viperæ, quam Patavini Maraſſum vocant, ſimilis, ſed minor, & corpore tenuiori. Acontia, ſivè Jaculum, quod jaculi modo ſe ipſum in homines, atque in alia animalia magno impetu effert. Ejus morſus brevem mortem inducit. In Ægypto ii ſerpentes vivunt, ut Ammianus Marcellinus auctor eſt: at longè copioſiores Acontiæ obſervantur in multis Æthiopiæ locis, ut Franciſcus Alvarez in ſuis Relationibus ſæpe meminit. Seps, ſeu Sepedo, quem Arabes Selſir appellant, eſt brevis ſerpens, habens caput latum, planum, collum tenue, corpus craſſum, & rotundum, caudam brevem diverſo colore Hæmorrhoi ſimilis. Hic morſu ſuo ſummam inducit, & in parte percuſſa, in qua caro veluti ex toto corrupta, ex oſſibus abſcedit, & in corpore, putrefactionem, adeo ut paucis diebus demorſi intereant, membris omnibus diffluentibus ſolutis. Avicenna de hoc ſerpente ita habet. " Exiſtimaverunt quidam quod „ ſunt ſerpentes, qui ſunt in regionibus Aſſem (Syriæ) & „ in Ægypto, habentes capita lata, parva colla, curtas cau„ das, ventres rotundos, & non ſunt ſuper capita lineæ, & „ ſquammæ, ſed ſuper corpora eorum ſunt lineæ diverſi co„ loris, & cum incedunt, non rectificantur, imo contrahun„ tur; curant demorſos, ut à viperis, atque ceraſtis. „ De

Baſiliſco etſi nihil certi ibi habeatur, audivimus tamen eſſe parvulum ſerpentem, qui palmum longus, minimi digiti craſſitie, in capite carunculam criſtæ inſtar habet, & in dorſi medio duas ſqammas utrinque poſitas, quibus utitur alarum modo ad curſus celeritatem. Retulerunt mihi non pauci, hoſce ſerpentes copioſius, & abundantius vivere juxta quoſdam lacus, à quibus putant Nilum flumen originem habere, ad quos profecto lacus nulli accedere audent, neque tentant, ob eorum ſerpentum uſque adeo exitium cognitum, ut propterea ibi, & alibi ad multa miliaria prope eos lacus neque animal ullum vivat, neque (quod magis mirum videtur) ulla planta. Hæc de Baſiliſco ex relatione Ægyptiorum in Æthiopiam, & Nubiam ſæpe iter facientium, accepimus. Sed fortaſſe non minus dubitabitur de Dracone, an verus ſerpens, vel fabuloſus ſit. Non eſſe fabuloſum, Ægypti incolas non latet, præſertimque eos qui Ægyptum ſuperiorem habitant, in cujus deſerto non ſemel viſi fuerunt ſerpentes hominis craſſitie, longi triginta, & quod excedit pedes, quorum capita magnitudine Bovina æmulantur, quæ in ſincipite quasdam carnoſas eminentias habent criſtarum in modum rubri coloris. Hoſque, & ſimiles alios ſerpentes, ii dracones eſſe exiſtimant, quorum aliqui non raro etiam in deſerto Memphitico conſpecti ſunt: noſque cum multis aliis Damiatam navigantes per flumen Nilum, cum in principio Deltæ Inſulæ navem egreſſi in littore fluminis ſpatiaremur, eminus in quodam monte arenoſo ſerpentem conſpeximus, longiſſimum quidem, &, ut conjecimus, ad minimum pedum viginti, capitis humani amplitudine, elatoque collo, capiteque ſuper arenam morabatur, qui, ad ſonitum noſtrorum tormentorum manuariorum, quæ ignifero pulvere contra ipſum accenſo direximus, continuò in ictu oculi quaſi avis evolando aliò fugit. Quædam mulier Chriſtiana Cophta, mihi admodum familiaris, emit quandam ſervam Chriſtianam juvenem Feida vocatam, quæ ex Provincia Nubiæ Decrur dicta Cairum deducta erat. Cum hac juvene lubens ſæpe converſabar, ut ab ipſa quædam propria ejus patriæ gentis audirem,

rem, inter quæ hoc ſæpe ab ea percepi, in Nubiæ Provinciæ ſuæ ſolo patrio aliquibus annis ſerpentes multos longiſſimos, hominis craſſitie, habentes capita magna bovis inſtar, habentia in ſummitate quandam criſtam rubram, tranſire, omneſque & homines, & alia animalia illis obvia devorare, eamque Provinciam devaſtare, ac inhabitabilem reddere. At indigenæ cum earum Belluarum adventum aliquo modo præſentiſcerent, herbam inibi à Deo Opt. Maximo remedii loco productam, abundeque viventem, ſuccendentes, atque ex ea ſuffitum excitantes, omnes eos ſerpentes fugare, ut ea Provincia tuta reddatur ab eorum ſerpentum incurſione. Eam herbam dixit eſſe humilem, foliis ocymo non diſſimilibus, validum, ingratiſſimumque odorem ſpirantem: quam etſi multo ſtudio ad me deferre à Nubis mercatoribus ſtuduerim, numquam videre potui. Atque hæc obiter de Dracone dicta ſint. Eſt vero in Ægypto alius ſerpens admodum familiaris, decem pedes longus, brachii humani craſſitie, capite magno, & lato, cui peculiare, ut recto collo, ventre in velum rotundum catini modo expanſo, celerrimum curſum habeat, Ægyptii Jehban appellant, & nos Ophylinum, id eſt, ſerpentem velatum, nominavimus. Veteribus viſus eſt omnino ignotus, cum nullus ex antiquis ipſius meminerit, & mirum eſt, eos latuiſſe tantum ſerpentem adeo Ægyptiis familiarem. Ita eſt hominibus familiaris, ut non ſolum ab ipſis manſuefiat, & cicuretur, ſed etiam ita erudiatur, ut rationis uſum, atque rerum cognitionem habere videatur: unde mirum non eſt, ſi circulatoribus Ægyptiis evaſerit multum domeſticus, atque utilis, quem nos ſæpe apud eos vidimus, qui plus intelligentiæ quam canis habere nobis viſus eſt, ejusque ſuperius, cum de circulatoribus Memphiticis ſermo habitus eſt, meminimus, ipſumque accratius conſideravimus. Dum vero hæc ſcriberem, litteras ex Ægypto accipio à Matthæo Carbono, illuſtriſſimi Conſulis Veneti Medico præcellentiſſimo, amico maximè colendo, qui in magna illa Civitate Cairi multos annos Medicinam magna cum laude faciendo moratus eſt, atque adhuc inibi moratur, qui de prædicto ſer-

pente hæc in litteris habet. " Sed jam venio ad ſerpentem. „ Hunc Ægyptii nominant Tehbam naſſer, ab aliquibus voca„ tur ſolummodo Tehbam, ab aliis Tohbam, cujus quidem, ut „ tibi plane ſatisfacerem, imaginem, figuramque delineatam miſi, „ & præter ejus ſerpentis expreſſam figuram, etiam duos ſer„ pentes ex iisdem vivos mitto duabus ligneis capſulis clauſos, „ quos dentibus carere volui, ut ſine timore tractari poſſint. „ Ego vero, qui maxime hoſce ſerpentes timere ſoleo, meis „ manibus in pyxides ligneas repoſui: præter hos, unius alte„ rius decorticati pellem itidem mitto, ſtuppa oppletam. Quem „ autem miſi, eſt mediocris magnitudinis, ipſo enim longe ma„ jores inibi obſervantur. „ Hi ſerpentes in ventre obſcurè albicant, reliquum corporis in aliquibus nigrum viſitur, in aliis coloris cinericii. Hujusmodi animal cum totum humi procumbit, & ſerpit, totum rotundum cernitur, cum vero ipſi aliquis adverſatur, opponiturque, continuò è terra capite, recto collo, & ventre extollitur, eaque parte corporis, quæ ejuſce corporis tres quartas capit, rectum manet, incedit, & reliquo corporis ſerpit. Qui ſerpens rectus multo tempore manere, & progredi in terra poteſt, plurimum efflat, ſibilatque: habet vero (quod quidem ſingulare eſt) à collo uſque in ventrem eam partem membranaceam, quam dum rectus progreditur expandit in veli modum. Velum enim vento inflatum diſtentumque apparet, rotundumque, catini veluti magnitudine, quam partem in velum diſtentam, ad libitum claudit. Vidi rem mirabilem in hoc ſerpente apud Circulatores; ſcilicet, quod cum hoc animal caput extollit, & rectus incedit, velociuſque ob velum proſerpit, efficitur admodum effrenis, & quaſi furiis agitatus. Quod cum viderint Circulatores, ut iram ipſius compeſcant, conſputo ſtatim digito naſi ejus ſummitatem tangunt, ex quo beſtia illa continuò in terram, ut mortua cadit, libereque manibus tractatur, & ita veluti profundo ſomno oppreſſa, vel etiam per diem integram perſtat. Cum vero ipſam expergiſci volunt, caudam ipſius validè comprimunt, fricantque, quoad expergiſcuntur, quæ continuò redit ad ſuum, ut ita dicam, furo-

Vipera Ariconnæ.

Aphylinus, sive Tebham Nasseri inflato velo festinans.



Ophylinus,
sive
Tebham Nasser;
inflato velo
fastinans.

Tchbam nasser
seu
Ophylinus.
Longitudo est Cubit. IV.



nasser

Cubit. IV.

rorem. Hoc cum viderim, credidi Circulatores id feciſſe vi alicujus antidoti, quod ore continerent: unde illud meo ſputo, & meis manibus experientia cognovi, eos nullo ad id antidoto uſos fuiſſe. Hic damus iſtius ſerpentis duas imagines, * unam humi ſerpentis in qua totus ſerpens rotundus etiam ſub collo cernitur, atque † alteram ejusdem, ſed recti, cum velo ſub collo extenſo incedentis, qui velociſſimè movetur. Hic naſcitur in antiquis ſepulcris, quæ vulgus mumias vocat: eſt hic ſerpens maximè diſciplinæ aptus: quod ſi eſſet verum, animas humanas migrantes è corporibus poſt mortem ingredi corpora beſtiarum, ut Anaxagoras credidit, ſuſpicari liceret, ob cognitionem qua præditi hi ſunt, Ægyptiorum animas habere, quorum corpora inibi humata jacent.

* *Vide Tab. VIII.*

† *Vide Tab. VII. num. 2.*

Caput V.

De Animalibus lacertoſis in Ægypto viventibus.

Complura animalia lacertoſa Ægyptiis itidem ſunt familiaria, cujusmodi eſt ſeps, lacerta chalcidica vocata, chameleon, ſcincus, atque crocodilus. Lacerta chalcidica cujus * hic imaginem damus, eſt ſeps veterum, non ſerpens mortiferus, quem ſuperius nominavimus, ſed animal lacertoſum, quem Nicander expreſſit, cum ſepem fecerit corpore humilibus lacertis ſimilem. Hæc inquam apud Ægyptios familiarius vivit in murorum, ædiumque foraminibus, & in hominum cubiculis, quam non magis incolæ timent, quam noſtri vulgo lacertas. Verum etſi ab ipſis accepimus eſſe venenatam, tamen nunquam quempiam ejus morſu in venenata ſymptomata incidiſſe liquidò conſtat. Chameleonibus etiam multis ſtirpes Ægyptiæ abundant, qui degentes in ſtirpium foliis, & ramis viſuntur, cum ex loci ubi ſunt, colore,

* *Vide Tab. IX. Num. 1.*

lore, hæc animalia itidem colorem trahant, vireſcunt in foliis, in terra colore obſcurantur. Eſt veluti lacerta, horrido aſpectu, ut ſerpens, oreque in ſufflando excitat ſtrepitum, quo, antequam ejus naturam expertus fuiſſem, mihi timor aliquis ex illo ſtrepitu, ſimulque & ex horrido illorum aſpectu inducebatur, ſed poſtea ejus naturam non noxiam, ſed benignam eſſe cognovi. Flatu enim ſtrepitum edente, digitum intra ipſius os imponebam, à quo nihil noxæ recipiebam, etſi uſque in gulam digitum injeciſſem: os enim omninò dentibus caret, nihilque duri in ore habet, quod dentium loco eſſe queat. Ex quo fortaſſe veteres perperam exiſtimaſſe viſi ſunt, non fuiſſe dentes Chameleonibus neceſſarios, quod ii ſolo aëre vivant, proinde os magnum, amplumque habuiſſe, intus leniſſimum, atque molle. Sed decepti fuerunt, quando ii ex quibusdam inſectis vivant, muſcaſque præſertim continuè venentur, linguæque extremo, tanquam Elephantis proboſcide, non tamen cavo, ſed tenui, aſperoque eas capiant: in Chameleonibus mirus eſt muſcarum venatus, muſcas etenim vel etiam ſemipede diſtantes gemino gradu repente mira celeritate edito linguæ extremo capiunt, eaſque devorant. Chameleones verò duplicis differentiæ obſervantur, quidam longitudine lacertæ viſuntur, alii minores, in multis mutuò etiam differentes: utrique linguam habent longam, in cujus extremo eſt veluti proboſcis, quo muſcas capiunt, & tametſi in ambobus iis Chameleonibus tam * majoribus, quam † minoribus in ore appareant quædam eminentiæ, inæqualitateſve, quaſi ſerras, vel dentes æmulantes, tamen nulli ſunt in ore dentes, eæque inæquales eminentiæ dentes æmulantes ſunt ex carne molliſſima, unde in ipſorum ore digiti immittuntur, qui undique oris carnem molliſſimam ſentiunt. Ambo colore flaveſcunt ad viridem inclinante, unde in frondibus, perinde ac frondes virides evadunt: Hieme latere in cavernis, nequaquam verum eſt, cum in ea regione hyems veris in modum ſit temperata, ut frigus haudquaquam moleſtum animalibus ſit. Abundant Ægyptii quoque ad opiparam Venerem conciliandam iis lacertoſis ani-

* *Vide Tab. IX. num.* 2. *& Tab. X.*

† *Vide Tab. IX. num.* 3.

nimalibus, quos Scincos vocant, Dioſcorides, & alii Crocodilos terreſtres appellarunt. Qui ex Ægypto Venetias convehuntur, lacertas noſtrates maximè imitantur, at ſunt craſſiores, latiores, & coloris flaveſcentis cum quibusdam maculis circa dorſum nigricantibus. Serapio Scincum ſtellionis aquatici ſpeciem fecit. Animal eſt amphibium, quod vivit in aqua Nili, & in terra. Et tametſi non me lateat hujusmodi lacertam omnes fere pro Scinco legitimo in uſum recepiſſe, nihilominus iſtiuſce Scinci cognitio apud me non levem diffcultatem habuiſſe perpetuo viſa eſt, ſiquidem vulgaris Scincus officinis Venetis maxime notus, notis non reſpondeat Scinco antiquorum. Primo enim ex Dioſcoride conſtat, Scincum eſſe terreſtrem Crocodilum ſale induratum. Sed quænam in vulgari Scinco cum Crocodilo apparet in magnitudine, & in figura ſimilitudo? Crocodilus in magnitudine eſt ſicut Elephas ad murem. Præterea, quis unquam vidit ex Scincis vulgaribus quendam bicubitalem, ut de Scinco Pauſanias tradidit? Haud leviter videtur ſuſpicandum, Herodotum (qui ne verbum quidem de Scinco) per Crocodilos terreſtres, apud Nomadas tricubitali ad ſummum magnitudine naſcentes, terreſtribus lacertis aſſimiles ſcribentem, Scincos intelligere voluiſſe. Addimus, in Scincis eam inſignem vim movendi venerem, ita ut ex vorata drachma Scinci renum, quod Arabes prodidere, veluti magnus priapismus excitetur, atque adeo, ut ad adimendum hunc excitatum affectum, Medicamentum adhibere ſit neceſſarium, multo minus obſervari. Etenim complures, qui Scincum, vel etiam recentiſſimum copioſius aſſumſerunt, nullam utilitatem ad venerem conſecuti ſunt. Quare crediderim ego, illud animal lacertoſum terreſtre crocodilo ſimile, cubitale, ſquamis minimis rotundis obſitum, colore candidiore, atque cute etiam tenuiori, cauda rotunda, & brevi, mitiori natura, ita ut non lædat, raroque mordeat, eſſe veterum Scincum, cujus renes tantopere ad opiparam Deam Venerem augendam à veteribus fuere miris laudibus concelebrati. Copioſi reperiuntur ſupra Memphim in terreſtribus, ſicciſque

locis. Sed puto hæc animalia esse amphibia, scilicet & in terra, & in aqua promiscuè viventia. * Horum duorum Scincorum hic imaginem damus. De † Crocodilis vero, quibus Ægypti tota ea regio maximè abundat, præsertimque supra Cairum versus Tebas, & in Nilo, & in lacubus, atque ita ut non sit tutum homines inibi versari, immanissima enim bestia est, magnitudine triginta cubitorum, homines, aliaque animalia indiscriminatim devorans; major vis ejus in cauda est, qua veluti latissima, durissimaque ensi, animalia, se ipsum vibrando, prosternat, quæ postea devorat. Ægyptus inferior minus iis abundat, maximeque circa Insulam Deltam vocatam, inibi pauciſſimi, & minimi habitare observantur, fortasse hoc, quod post Memphim versus mare pauciſſimi Crocrodili visuntur, iique omnium minime, quos Scincos veterum esse credidimus, fit ex majori in hac parte hominum commercio, à quibus timeant; vel quod superius longe plures sint lacus maximi, in quibus libenter vivunt. Aliàs diximus, ut indigenarum relatione accepimus, postquam à quodam Ægyptio Mago Crocodilus magica arte confectus supra Cairum duorum dierum itinere in Nilo flumine obrutus fuit, nunquam Crocodilos transire locum, in quo magicus crocodilus sepultus est, potuisse, & in hanc causam Ægyptii eruditiores magnorum crocodilorum ad Memphim, & ad alias versus mare Ægyptium urbes sublatum comercium, frequentemque transitum interceptum, retulerunt. Quod tamen fabulosum esse credidi, & potius crediderim ego; illud referendum esse, in minorem, & majorem per ea loca hominum conversationem, quam crocodili fugientes, propterea ad Memphim, neque ad alias urbis versus mare non veniunt, sed manent in Nilo super Memphim, quod hæc loca minus sint ab hominibus habitata, & frequentata. Rem maxime miram dicam, scilicet tam grandem, immanemque belluam, quæ numerosissimis hominibus validè obsistere apta nata est, homunculos quosdam rusticos gracillimos, unum, vel duos invadere, eamque manibus apprehendere, & ita tractare, ut sune os vinciant, atque pedes, & ita legatis pedi-

* *Vide Tab. XI. num.* 1. & 2.

† *Vide Tab. XI. num.* 3.







pedibus, & ore, aſino ſuperponentes, vehant ipſam ad mercatores Venetos, eamque belluam vendant, occidant, pellemque decorticent. Quid majus? deductam beſtiam, ut eam mercatores empturi commodè videant, & ejus inceſſum obſervent, eaque oblectentur, os, pedeſque ablaqueantes, ſinunt eam ad libitum moveri, ſpaciarique, quam, ni ſponte id faciat, verberibus, puncturiſque cogunt, quæ ubi moveri, ac ſpaciari parum viſa eſt, denuo os, pedeſque arctè ligant, eamque gladio jugulantes, ab ea pellem decorticant, & venduntj & admiratio eſt, quod ii audeant tam grandem belluam ità liberè tractare, nunquamque ii ab ipſa male afficiantur, cum ea quoſcumque alios occidat, atque devoret. Quod de Trochilo avicula dictum eſt, verum eſſe quoque audivimus, quippe excrementa carnium in dentibus relicta, atque etiam vermiculos ex putrefactis carnium reliquiis qui inibi naſcuntur, ipſum os crocodili apertum ingreſſa, roſtro acutiſſimo purgare, non autem ſanguiſugas, ut perperam Herodotus tradidit: at, finita dentium deterſione, beſtia beneficii immemor, ut tandem aviculam etiam devoret, os claudit, quo cognito Trochilus roſtrum acutiſſimum in maxillæ ſuperioris cavitatem, (ea enim pars, & mollis, & exquiſitiſſimi ſenſus eſt) affligendo, non ſinit os claudere, & repentino volatu ab eo diſcedit.

Caput VI.

De Animalibus quadrupedibus domeſticis, quæ Ægyptiis ſunt familiaria, & primo de equis, aſinis, atque mulis.

Ægyptii præter ſingularia quædam quadrupeda animalia, quæ ipſis ſunt propria, cujusmodi ſunt cameli, dromades, bubali, leones, pardales, civetæ, gazelæ, ichneumones, equi marini, habent ea omnia, quæ apud nos ſunt, ſcilicet equos, aſinos, mulos, boves, ſues, oves, capras, canes, feles, mures, & ex ſylveſtribus quoque, boves, aſinos, urſos, lupos, vulpes, martires, cuniculos, & ex peregrinis, quæ ex finitimis provinciis deferuntur, tigres, leones, pantheras, elephantes, giraffas, atque ſimias. Horum vero omnium animalium quadrupedum, hic qualitates complecti noſtrum erit inſtitutum. Idque faciemus à domeſticis exorſi primum & ab equis, quibus ea tota regio maxime abundat. Eos etenim pulcherrimos Ægyptus producit, omnibuſque numeris abſolutos, velociſſimos, audaces, maximeque dociles, ut velociores, quique freno magis obediant, nullum alium reperiri putem; ita enim ii diſciplinabiles ſunt, ut ratione pollere videantur, ad varios, differenteſque currendi, movendique modos, & in pugna ita audaces, prudenteſque apparent, ut bellicæ diſciplinæ omnino haud expertes videantur. Turcæ ſi in via diſcedant, ibique diu equos relinquant, quoad ad ipſos redeant, nunquam vel unum pedem loco in quo relinquuntur, movebunt, unde ſervos ad ipſorum cuſtodiam relinquere non ſit opus. Pulcherrimi inibi naſcuntur, caput parvum habent, aures breves, faciemque brevem, oculos magnos, vividos, mobiles, totius corporis habitus non præ-

pin-

pinguis, & craſſus, ſed carnoſus, & ad gracilem inclinans, juxta ilia ſunt quam noſtrates graciliores. Hordeo, atque paleis, quodam artificio furfurum modo detritis, quæ non triticeis furfuribus majores ſunt, perpetuo aluntur, quo pabulo mirum non eſt, ſi optimam carnem, ſolidamque gignant, qua robuſti redduntur, & ad omnia opera apti. Unus ex iis duo mille aureis Turcicis venditur. Arabes pulchritudine iis non cedunt, at ſunt longiores, & graciliores: idque ex parco victu evenit, poſſunt enim ii triduo abſque potu manere. At in curſu, longè urbanis equis ſunt velociores, atque agiliores, quibus Arabes utuntur, & in pugna, & in rapina, & in fuga. Quidam Princeps Arabum, Turca, Remonim vocatus, inter alios equos ferè innumeros unum habebat, quem præ inſigni ejus pulchritudine, ingenio, atque amore quo ſuum dominum proſequebatur, mirum in modum adamabat, cariſſimumque ita habebat, ut unà in tentoriis cum Remonino dormiret, à quo profecto equo ita quoad dormiret ipſe cuſtodiebatur, ut veluti excubias faciens, ſi rumorem aliquem ſentiret, capite ipſum contingens à ſomno excitaret. Quod equi in Ægypto ſint pulcherrimi, velociſſimi, maximeque audaces, & ingenio verſatili, quotannis ex toto regno quadraginta, & quinquaginta ſeliguntur, qui ad Turcarum Imperatorem Byzantium mittuntur, ſiquidem ipſe rarò alium equum quam Ægyptium conſcendere ſolet. Aliqui ex iis duobus millibus aureis veneunt, & longè pluris. Inter equos autem ſeliguntur ſpadices, aurei coloris, nec non rufi, quos Aſcar vocant. Abundat & ea tota regio optimis, & præſtantiſſimis Aſinis, equis minimè commodo inceſſu cedentibus, unde (ut mea fert opinio, omnes inibi gentes meritò aſinis & familiarius uſi fuerunt, atque in præſentia etiam utuntur ad itinera conficienda, non Turcarum Imperatoris decreto perſuaſæ, decernente nullum ex Ægyptiis non privilegiatum licere uti equis, aut equitare. Quod etſi nunc verum ſit, nihilominus ea gens aſinis pro itinere faciendo uti mavult, quoniam præſtantiſſimi ſunt, non minus quam equi ad iter faciendum expetendi, quoniam & velociori cur-

ſu perinde ac equi, & commodiore homines vehunt. Complures inibi reperiuntur aſini, & colore nigerrimo, & pulchritudine, & magnitudine, & commodiori inceſſu, atque curſu iis equis nihilo cedentes, quos vulgus Chineas vocat, unuſque pretio æſtimatur centum aureorum, & plurium: Quod in ſolo calidiori vivant, atque in arenoſo minimè lapidibus referto, ac impedito, velociores & in inceſſu, & in curſu ſunt, à noſtratibus admodum diverſam naturam habentes, qua onagris, id eſt ſylveſtribus aſinis in Africæ ſolitudinibus viventibus ſimiles videntur. Ab onagris vero differunt, eo quod majores ſunt, atque manſuetiores. Ægyptii non ephippiis ad aſinos utuntur, ſed parvo tapete ſuper dorſum ſtrato, quo modo vel etiam mulieres aſino vehi ſolent, quippè ſuper tapetem ſedentes. Aſinis conductitiis complures utuntur, iiſque ſex horarum ſpacio ſeptemvè ad plurimum Alexandria diſcedentes Raſſitum pervenimus, quæ ab Alexandria diſtat quadraginta milliaribus Italicis. Neque in toto eo itinere quidquam, vel cibi, vel potus deguſtarunt, finitoque itinere, aſinorum cuſtodes ipſis pro cibo dabant integras fabas ſiccas ad libræ pondus. De Aſinorum vero ingenio, atque natura diſciplinabili, ſuperius cum de circumforaneis ſermo habitus eſt, ſatis, ſuperque diximus. Muli etiam inibi innumeri ferè naſcuntur, qui magni ſunt, pulcherrimi, & curſu velociſſimi, quos, qui iter ocius quam Aſinis fieri queat expetunt, aſinorum loco conſcendunt, diuturno etiam labori itinerario, plus quam aſini, reſiſtunt, eumque diutius perferunt.

CA-

Caput VII.

De Camelis, & Dromadibus, qui in Ægypto aluntur.

Sequuntur ex domeſticis quadrupedibus Cameli, quibus non minus prædictis tota ea regio, & Arabia, contermina Provincia, maximè abundant. Animalia ſancta ii appellant, ex inſigni commodo quem ex ipſis indigenæ accipiunt: Victum enim parciſſimum, exiguique ſumptus ferunt, & magnis laboribus robuſtiſſime reſiſtunt. Horum vero triplex genus reperitur: unum quod Turcicum vocant, robuſtiſſimum, validiſſimumque: alterum nobiliſſimum, quod Latini Dromadem, & Mauri Egin vocant: Tertium medium inter hos. In hujuſcemodi camelis, tota Arabum vis, & robur, victuſque conſiſtit. Etenim primis ad onera ferenda, eorumque ſupellectilem, filioſve, in quibusdam pulcherrimis cunis pereleganter ad id inſtructis, utuntur. Alteros verò ephippiis inſternunt, frenoque perindè atque equos regunt. Hos conſcendentes vaſtiſſimas ſolitudines, loca invia, montes, & deſerta pervadunt: Hos curſores, & tabellarii per Arabias equitant, iiſque maximæ ſunt utilitati, nam uſque adeo veloces ſunt, & celerrimo curſu præſtant, ut uno die iter abſolvant, quod quatriduo equi commutati non facerent: quod ſi aliquanto defeſſi videantur, per horam ſolummodo reſpirare permiſſi, vires recipiunt. E Meccha Memphim quadraginta dierum iter, atque illud per montes, decem diebus veniunt. Nullum animal illiuſce molis citius comedit. † Pulcherrimum eſt, & Arabes, cum uxores ducunt, eas ſuper dromades ornamenti gratia vehunt. Qui ad longa itinera, & bella proficiſcuntur, & Turcæ, & Reges, multos Dromades

† *Vide figuram Dromadis Tab. XII.*

des habent undequaque ornatiſſimos, quorum nonnulli, ſuper ipſis ſedentibus ſervis, quocumque ſe contulerint, eos comitantur, ſivè currendo, ſivè alio modo, aquam, bellaria, & ſelectos cibos, & condita in mantica, nec non tapetes, & aliam ſuppellectilem ferentes. Conſuevere enim, qui agmen vel militum, vel mercatorum, ſeu peregrinorum, ducunt, modo præire, modo ſubſequi, modo huc, modo illuc ſe conferre, cum ſelectiſſimis hominibus, ne ſui à lateribus invadantur, maximeque qui alios ſequi nequeunt, ut mulieres, virivè imbecilles, aut qui animalia defeſſa, laboreque confecta habent, quibus omnibus conſulunt, ſivè Mehemetes ſectæ ſint, ſivè alterius; in quo quidem Mauritanorum diligentiam, & humanitatem dignam ſumma laude judico: quod in itineribus omnium eam curam gerant, ut nullum perire ſinant, quod ſedulo facientes, quandoque ut totus exercitus pertranſeat, expectant, quandoque ex quo diſceſſerunt, quandoque ad jumenta accurrunt. Aliàs ob vigilias noctis id temporis ad dormiendum aſſumunt, quo omnis multitudo pertranſeat. Ad quod facit Dromas, à quo in terram prono, quicquid volunt accipiunt. Hicque eſt Dromadum uſus, non autem in bello, ut Plinio fuit perſuaſum. Nullam aliam utilitatem in bello Dromades afferunt, quam eam à nobis prædictam, expreſſamque. Tertii generis camelos fœminas, intactas, propter earum lac, ſervant; eas, omni labore ſolutas, vagari permittentes per loca ſylveſtria, paſcentes ſpinam in Ægypto acutam, Arabicamque etiam vocatam, acaciam in Arabia petrea, atque juncum odoratum in Arabia deſerta, ubivis abſinthii ſpecies, aliaſque herbas, & virgulta ſpinoſa, quæ in deſertis reperiuntur. Camelorum itaque lac eſt præcipuus eorum cibus, vel ſolum, vel cum malva coctum. In deliciis habent panem ſpoditen ſine fermento ſub cineribus, vel ſuper marmoreum lapidem candentem coctum, quem deinde butyro emolliunt. Quamvis autem Arabes ſylveſtribus animalibus ad victum maxime abundant, tamen eorum carnibus, ut in primo libro etiam dictum eſt, Camelorum lac anteponunt, tum quod hoc animal quaſi venerentur, cum

vana

vana fide credant Mecchæ Camelum eorum pſeudo-Prophetam allocutam, quodque male à Domino tractaretur coram illo conqueſtam, idque, orationi vanitatem adhibentes, eveniſſe inquiunt, ut & brutorum animalium teſtimonio ipſum Prophetam eſſe liquidò conſtaret; tum etiam quod præter alia emolumenta, quæ ex Camelis capiunt, veſtes quoque, & tentoria ex iisdem habeant. Ex eorum enim pilis multa fiunt, maxime vero pannus, quo & Principes oblectantur, nec minus quam aulæum ipſum nonnulli meritò æſtimant, unde &, quod ejus uſus ſalubris ſit, eo panno nonnulli Veneti Patritii veſtiuntur; tum etiam quod apud illos hujuſce lactis ope, nullus hydrope, nullus regio morbo, nullus dyſpnœa, nemo obſtructione detentus reperiatur. Nullus tandem pſora, lepra, ſcabie, vitiligine, nec alia cutis infectione laborat, quemadmodum urbanorum multi iis malis vexari ſolent, cum lac omnibus his malis medeatur. Aſthma enim tollit, hydropem ſanat, ſpleneticis prodeſt, uteri obſtructionibus ſubvenit, menſes movet, faciliſque eſt coctionis & naturam lenit. Quæ profecto omnia Ægyptios ſæpe fuiſſe expertos deprehendimus. Nam, aliis omiſſis, mulieri Mauritanæ, febre, hydrope, aſcite, jecoriſque, & lienis obſtructione inſigni laboranti, ſimul cum lotii ſuppreſſione, à Perſa Medico, nullo alio remedii genere proficiente, hujusmodi lac ad ſeſquilibram quotidie fuit exhibitum, quoad ſanitati fuit reſtituta. Aquam educebat, obſtructiones aperiebantur, urinam movebat, vires recreabat, ſicque ea omnino fuit ſanata. Multos & ab affectibus ſplenis hoc tantummodo lacte epoto liberatos fuiſſe vidimus. Quod vero ipſum ſit optimum, optimique ſucci, vel eo argumento probari poteſt, quod Arabes hi, quamvis in montibus vitam tranſigant, tamen ingenio, arte, & multis animi dotibus probè valent, callidique ſunt, & ſtratagematum non ignari. Contra, qui noſtros montes incolunt, quamvis libero, apertoque cælo fruantur, ob aſſiduam tamen fructuum craſſorum, ſicuti caſtanearum, & raparum, & id genus eduliorum uſum, ingenii dexteritate parum valent: ex quo quidem animi, & corporis temperiem mutuo

ſe conſequi licet intelligere. Quare Moyſem populo Isdraelitico, & Mahemetem, à Sergio Monacho Græco edoctum, populo Arabico, cibos, frigidos, craſſos, & viſcoſos, tenaceſque gignentes ſuccos, interdixiſſe ferunt. Quod autem Arabes ingenio valeant, vel ex eo intelligi poteſt, quia de iis dici poſſit, quod veteres de Romanis tradiderunt, ſcilicet alias nationes ſervitutem pati potuiſſe, populi vero Romani propriam eſſe libertatem, ſiquidem hi magis quam Romani libertatem retinuere, eam enim omnibus divitiis, omnibusque commodis prætulerunt. Hos per tot ſecula nullus unquam ſubegit. De qua re ſatis accuratè ſcripſimus in fine primi libri, ubi ex profeſſo de Arabibus ſermo à nobis habitus eſt. Præter alia animalia, quorum carnem in cibo plurimi faciunt, cameli in magno honore exiſtunt. In Arabum Principum caſtris cameli plures unius anni, aut biennes mactantur, quorum carnes avidè commedunt, eaſque odoratas, ſuaves, atque optimas eſſe fatentur. Tanta apud Arabes eſt camelorum copia, ut eorum pauperrimus decem ad minus camelos habeat: multique ſunt, quorum quiſque quatuorcentum, ac mille etiam numerare poſſit. Audio vero in Ægypto longe plura quam quatercentum millia camelorum vivere. In Arabia vero adhuc plures Camelos eſſe, unde mirum haud eſt, ſi ſinguli aureis ſingulis emantur. In quibusdam vero locis, inter Damaſcum, & Babylonem, & ubi vir ſanctus Abraham habitabat, atque in Arabia deſerta triplo plures nutriri. Quibus conſtabit camelorum numerum adeo magnum, atque numeroſum eſſe, ut vix credi queat. * Atque hæc de Camelis

* *Cameli figuram vide Tab. XIII.*

CA-

p. 226.

Caput VIII.

De quibusdam aliis quadrupedibus apud Ægyptios viventibus, ſcilicet de Bobus, Bubalis, Ovibus, Capris, Suibus, Canibus, Felibus.

Abundat Ægyptus & Bobus, & Bubalis, & Ovibus, & Capris, Suibus, Canibus, atque Felibus. Boves magnitudine mediocri ibi viſuntur, ſed pingues illi pulcherrimique. Neque immeritò ſane, cum in terræ cultura minimè laborent, aut parum laboris capiant. In ſerendo tritico nihil laborant, cum nihil prorſus terra vomere vertatur, aut moveatur, ſiquidem (ut aliàs etiam dictum eſt) abſorpta aqua Nili poſt ipſius augmentum, ſtatim ſemina nullo præmiſſo cultu terræ committere ſolent: quo ii felices in agricolatione haud injuria æſtimantur. Itaque meritò, & quod parum laboris habeant, pingues boves redduntur, atque etiam quod in illis alendis optimum fœnum, paleæ tritæ, atque hordeum non ipſis deſit, omniumque maximè pingueſcunt vacculæ, quod ad generationem, atque ad lactis uſum abſque ullo labore adſerventur, in pinguiſſimiſque pratis arte factis eas vagari, & paſcere liberè ſinant. Vitulos habent in magna copia pinguiſſimos, eſuique jucundiſſimos, ſingulique ad ſummum aureo argenteo habentur. Ægyptii tamen nunquam vitulum abſque vacca ejus matre, magno vel etiam pretio vendunt, vaccarum mugitus, atque lamentationes propter ſobolis privationem (quod præhumaniſſimi erga omnes beſtias ſint) æquo animo minime ferentes. Carnem Vitulorum Mau-

ri rariſſimè comedunt: Hebræi vero familiarius, & frequentius: at emunt vitulum cum vacca ſimul non pluris quam gemino aureo Turcico, & ſeparatos à vaccis Chriſtianis vendunt vitulos, ut & vaccarum partes poſteriores illis Moſaica lege prohibitas. Carnes vero Vaccarum, atque Boum unius anni, aut ad ſummum duorum annorum, comedere ſolent, quæ pingues admodum ſint, palatoque ſuaves. Bubali inibi maximi viſuntur, atque pulcherrimi, qui frequentius, calorem devitantes, in aqua Nili fluminis morari magna diei parte ſolent, libentiuſque in aqua quam in terra vivunt, è cujus aqua refrigerata, humectataque illorum corpora pinguiora redduntur, quorum carnes eſui gratæ ſunt, concoctuque faciles. Veneti Mercatores linguas Bubulas, tanquam menſis optimas, ſale conditas, in magna copia Venetias mittunt. Ægyptia tellus maximè ovibus abundat, agniſque optimis, vervecibuſque: Præfertur ibi caro vervecina omnibus aliis carnibus bonitate, triploque majori quam vitulina, hædinaque pretio venditur, apud eoſque omnes, ejus uſus eſt frequentiſſimus, atque familiariſſimus, adeo ut omnes eam ægrotis Medici concedant: neque injuria ſane, cum caro ſit odorata, concoctu facilis, optimique ſucci. Complures eam libentius aſſam, aſperſam ſucco limonum, comedunt. Nulli ferè ſimpliciter ex aqua elixa veſcuntur, ſed ipſorum multi in ollam, vel tegetem terreum magnis fruſtis deſſectam conjiciunt, cum cæpis, allioque tritis, petroſelinique foliis, piperis triti modico, crocoque, ſaleque conditam, & operculo clauſam lento igne percoquunt. Hujuſmodi vero conditam vervecinam carnem, decoctamque, Caulian vocant, eſtque uſque adeo eſui ſuavis, & grata, ut avidiſſimè, magnaque cum voluptate ea omnes veſcantur. Hoc modo ſemicoctam Arabes itinera per deſerta loca facturi ſecum deferunt, & quod magis mirum eſt, eam in iis cœli caloribus imputrem, atque incorruptam ad uſum ſervant viginti, & pluribus etiam diebus, hoc modo ſcilicet; quotidie ipſam modicum in olla igne coquentes, nunquam ex toto coquunt, at prima die habent ferè ſemicoctam, & quotidie eam, quamdiu

diu incorruptam conſervare volunt, modicè excoquunt: quæ optima, ea modica, quotidie repetita ebullitione, coctione per plures dies ab iis conſervatur. Aſſam vero, torrefactamvè duobus modis eam excoquentes reddunt. Altero modo ipſam in parva fruſta diſſectam, & veruculis ferreis, acuum modo, infixam ſuper crates ferreas igne ſuppoſito poſitam torrefaciunt, quam ſucco limonum aſperſam avidè eſitant. Non fit convivium ſine vervecina carne hoc quidem modo ſuper craticulas torrefacta. Altero vero torrefacientes hanc carnem ſic excoquunt. Habent clibanum parvum longum fictilem, ore anguſto, ventre latiore ollæ ſimilem, ſub quo ſupponunt ignem. In ore habet pauca filamenta ferrea transverſim poſita, quibus ferrea verucula altero extremo aduncо appendunt cum carnis magnis fruſtis infixis, hiſque veruculis carne infarctis totam ollæ, ſeu Clibani fictilis prædicti capacitatem implent, lentoque igne excoqui, ac torrefieri ſinunt, quam concoctam extrahunt, ſuccoque limonum aſperſam comedunt. Hiſque modis carnem vervecinam percoquunt, quam omnibus aliis carnibus bonitate præferunt. Ex iis vervecibus, quidam caudas uſque adeo pingues, & magna mole auctas habent, ut nonnullæ ex iis librarum viginti, & plurium etiam pondere deprehendatur. Multi ipſorum caudis, quod egerrimè præ magnitudine earum hæc animalia incedant, ad juvandum inceſſum rotulas ligneas ſupponunt. Capris quoque Ægyptii abundant, quarum uſus præcipuus eſt in lacte ipſarum: omnes enim (ut aliàs diximus) lacte veſcuntur, vel ſolo crudo, acetoſo, vel ex eo cum herbis variis eſculentis ferculis paratis. Hædi optimi ſunt, ac maximè pingues, ſingulique duobus ſeſtertiis, ideſt Maidinis Turcicis vendebantur. Ex capris complures ſunt, quæ ita aures oblongas habent, ut extremitate terram uſque contingant. Ingenio maximè perſpicaci Capra Ægyptia prædita eſt, idcirco facilè diſciplinabilis. Circulatores quidam uſque adeo ipſam edocent, inſtructamque reddunt, ut multa quidem non ſine ſpectantium admiratione faciat: ſed præſertim illi ſuperpoſito ephippio, equorum modo currit, ſuperbè incedit, ſal-

tat, atque pedibus equorum more calcitrat. Sues quoque habent in magna copia, at longè noſtratibus minores ſunt, uniuſque anni, Chriſtiani minimè caſtratos comedunt. Alunt ferè omnes equites Mauri, & Turcæ in ſtabulis cum ſuis equis, rati ſuum præſentiam non parum facere ad equorum ſanitatem conſervandam. Emunt parvulos bimeſtres, quos cum equis ſimul nutriunt. Hi viliſſimo pretio habentur, adeo ut majores, quippè unius anni, qui carnem habent ad ſexaginta librarum pondus, non pluris, quam duobus ſeſtertiis habeantur; hocque vili pretio ii habentur, quia eos neque Mauri, neque Hebræi comedunt. Equites nobiſcum unà in via habitantes nobis concedebant, ut ſuos porcos unius anni caperemus, & eorum loco parvulos recenter natos in ſuis ſtabulis ſubſtitueremus. Caro illorum longè ſuavior quam noſtratium eſui apparet, minuſque humida, & excrementoſa, quippè ex pabulo quo ſues nutriuntur. Fabacea farina, atque hordeo eos alunt. Ex illorum carne cum ſale minutim detrita, commixta caudarum vervecinarum pinguedine, farcimina eſui acceptiſſima à noſtris parabantur. Sed carnes eæ porcinæ, recenter ſuibus mactatis, modico ſale aſperſæ, elixæque, optimæ ſunt, atque guſtui gratiſſimæ. Canibus ea regio quoque non minus abundat, præſtantiſſimis ad venatum: Nonnulli apud quosdam Arabes reperiuntur, quos omni diligentia alunt, præſertimque leporarii, quibus in venatione utuntur. Præter hos paucos, omnes alii, quorum numerus ineffabilis eſt, qui in civitatibus, oppidis, atque in pagis vivunt, leproſi ferè omnes exiſtunt, cum ex pulveribus nitroſis quibus Ægyptus abundare ſolet, ipſorum cutis defædetur, tum ex pravo potu aquæ ſemiputris: non enim vivunt, ut apud nos, in domibus privatis à particularibus dominis enutriti, ſed omnes, nullis patronis addicti, paſſim in viis, lociſque omnibus indiſcriminatim converſantes in ocio omnes vitam ducentes. Vivunt, ut dixi, ex carnibus putridis, atque ex recrementis terræ: ſed tamen adeo Ægyptii ſunt præhumani, & præliberales erga beſtias, præſertimque erga Canes, ut multi morientes ſuis hæredibus teſtamento relinquant,

quant, ut quotidie panes multi triticei canibus dispensentur: quod etiam viventes multi faciunt: etenim in aliquibus locis civitatis ferè desertis, in quibus canes catervatim perpetuo morantur, quotidie mane aliqui corbes ligneas etiam amplas, optimis panibus plenas, illuc ad Canes deferunt, ad quem locum ubi pervenerint, canes ad se vocant magna voce clamantes thaù, thaù, qui statim audientes accurrunt, solitosque panes illis projectos devorant. Hoc primum Alexandriæ, atque non sine admiratione fieri vidimus. Multæ mulieres sunt, quæ canes puerperas in publica via cum suis parvis catulis degentes, alant; ante suas domos, earum misericordia ductæ, vas aqua optima plenum per plures dies servantes, in eo aquam puram, & recentem, nec non panes, aliosque cibos optimos subministrantes. Mirum est, quod inibi cœlo maximè calido nunquam rabie canes tententur; indigenæque hoc non abs re in leprosum affectum referunt, quo omnes vexantur, iis exceptis, qui quotidie, & pluries in Nilo flumine se lavant, qui tamen pauciſſimi sunt. Canem fœminam, apud Venetos Mercatores enutritam, pulcherrimam Alexandriæ vidi, quæ quotidie summo mane in mare se lavatum ibat, & hoc modo incolumis perpetuo à lepra conservabatur, & quod magis mirum est, suos catulos singulo mane ablutioni consuefaciebat, eos ad mare quotidie ducendo, qui & ipsi optimè valuerunt. Neque Feles iis populis desunt numerosissimæ, neque iis mures plurium generum pro cibo itidem desunt. De illis postea nos quæpiam accuratius.

Caput IX.

De Quadrupedibus ſylveſtribus in ea regione viventibus, quippe de Urſis, Lupis, Vulpibus, Leporibus, Cuniculis, Gazellis, Juvencis Sylveſtribus, Capris, Cervis, Gliribus, Muribus, Muſtelis, atque de Ichneumone.

Urſis, Lupis, Vulpibusque ea Provincia non eſt deſtituta, etſi hæc animalia non admodum ibi ſint copioſa. Urſi ovibus noſtratibus haud majores viſuntur, omneſque colore ferè albicant, & cicures noſtratibus facilius redduntur, minuſque feroces ſunt. Lupi itidem, & Vulpes duplo minores quam apud nos apparent. Lepores quoque Arabes in aliquibus locis propè montes venantur, præſertim penes Synaim, & Oreb montes. In planicicbus, lociſque arenoſis rarò hæc animalia viſuntur, inibique propter nimium calorem non vivunt. Venantur quoque quoddam Animal pumile cuniculo non diſſimile, ſed cuniculis majus, quod vocunt Agnum filiorum Israel. Horum carnes cuniculorum carne ſuaviores exiſtunt. Venantur non minus, & * Gazellas, quibus Ægyptus abundat, quarum carnes bonitate, & guſtu, Capreolorum carnibus ſimiles exiſtunt. Biſulcum animal eſt ſylveſtre, ſed quod facilè manſuefit, capræ ſimile, colore igneo ad pallidum inclinante, duplici cornu longo intro converſo lunæ modo, & nigro, auribus arrectis, ut in Cervis, oculis magnis oblongis nigris pulcherrimis. Unde in adagio apud Ægyptios dicitur de pulchris oculis. Aine el Czazel, ideſt oculus Gazellæ. Collo longo, & gracili, cruribus gracilibus, atque pedibus biſulcis conſtat. Pantheræ in deſertis locis Gazellas venantur, quibus aliquandiu cornibus duriſſimis,

* *Vide Tab. XIV. num.* 1.

1


2


3

4

mis, acutiſque reſiſtunt, ſed victæ eorum præda fiunt. Pili quibus conteguntur, videntur ſanè ſimiles iis, qui in Moſchiferis animalibus ſpectantur: pulcherrimum eſt animal, quod facile hominibus redditur cicur, manſuetumque. Venantur & onagros, quos veteres oryges appellarunt, qui uno cornu armantur, ſylveſtribuſque Aſinis bicornibus longe minores exiſtunt, iiſque non minus feroces, veloceſque, quorum unius anni, ac vel etiam duorum, carnibus veſcuntur Arabes, dicuntque eas eſſe optimas, admodumque odoratas, & guſtui ſuaves. Non deſunt etiam illis ſylveſtres * Juvencæ, quæ capris majores non ſunt, binaque cornua vaccarum modo, craſſa, brevia, introrſum lunæ creſcentis modo inverſa, habent; caput, & reliquum corporis plenum macularum parvarum eſſe videtur, biſulcos pedes habent, ventremque craſſum, colore rutilo ſpectantur, cicures hæ facilè fiunt: unam habebat Chiaus quidam, mihi multum familiaris, quæ manſuètiſſima erat, ita ut neque noſtrum conſpectum fugeret, atque liberè ad libitum ipſam manibus tractaremus. Hanc eandem eſſe cum Bove Africano Bellonii putamus, tametſi cornua non ſint nigra, ſed eodem colore quo viſuntur noſtratium Boum cornua. In reliquis omnia habet, quæ in Africano bove viſuntur. Quod vero Bubalus veterum ſit, nequaquam mihi perſuadere potui, cum bubalus non diſtinguatur à Bove magnitudine, aut figura, ſed colore nigro, atque quod libentius vivat in aquis. Nullumque aliud genus Bovis eſſe, quam illud quod vulgo Buffalus dicitur, quod nomen corruptum eſt à bubalo nomine antiquo, bos enim, ſive juvenca ſylveſtris, eſt parva (ut dictum eſt) quæ tamen facile cicuratur: caroque ejus bovis non vaccæ ſaporem, aut odorem præſeferens. Apros etiam habent, quibus Arabes veſcuntur. Sunt vero non majores ſuibus domeſticis, ipſorumque carnes eſui, etſi gratiſſimæ ſint, nihilominus plures ab iis abſtinent, legis decreto, quo ipſis negatum eſt. Non deſunt quoque cervorum complures, quos indigenæ venatione inſectari ſolent, & carnes comedunt. Glires inibi copioſius vivunt, pingueſque, atque eſui grati ſunt, quo cibo

* *Vide Tab. XIV. num. 2.*

plures oblectantur. Vivunt etiam in eo solo Mustelæ fere innumeræ, quæ mures infectantur atque ipsis vescuntur. Sunt vero inibi complura murium genera, nostratibus primo parvis similia, ac vel etiam majoribus, sed longè majores omnibus inibi vivunt, non modo in domibus, sed magis in agris, in quibus usque adeo copiosi vivunt, ut, ni in multis, qui plurimum iis scatent, una cum tritico simul arsenicum pulverizatum seminarent, totum triticum terræ commissum à muribus consumeretur: sed arsenici & odore, & sapore fugantur, atque sementem non attingunt. Æstate in terræ fissuris, quæ fiunt terra à nimio calore siccata in rimas dehiscente, innumeri ferè vivunt: Etenim hæ fissuræ, sive rimæ in quibusdam locis usque adeo magnæ, profundæque sunt, ut vix oculis ipsarum fundus conspiciatur. Itaque muribus hæ sunt refertissimæ, atque adeo plenæ, ut si nos, vel alii aliquando inibi pedibus terram pulsando strepitum faciant, innumeri mures è rimis continuò prosiliant, atque terra egrediantur. Ubique locorum etiam quoddam muris genus sylvestre vivit, quod indigenæ Murem Pharaonis appellant. Antiqui vero Ichneumonem olim hoc animal dixerunt, quasi perscrutatorem murium. Animal parvum est mustelæ magnitudine, atque figura, sed longe breviori corpore quam mustela visitur, & alvo ampliori, caput parvum habet, rostrum nigrum, acutum, ore parvo, dentibus murinis constat, oculis parvis, admodum vivacibus, itidem visitur brevissimo collo, ventre crasso, pedibus parvis, unguibusque uncinatis, caudam vero habet longam serpentis modo in tenuitatem abeuntem, colore cinereo fulvescente. Petrus Bellonius id proprii in ipso observavit, quod habet præter muliebrem sexum meatum alium quempiam magnum illi contiguum, pilis obsitum haud mulieris pudendo dissimile, per quem meatum excrementa alvi dejiciebat. Animal est mundissimum, atque ita cicuratur, ut fele mansuetius evadat; in domibus cicuratum manet felium modo, & si aliquando abeat, denuo, & horis ordinatis redit. Vafer est, vivax, & animosus, ut quamvis minor fele sit, audeat se & in magnum

gnum Canem ex posterioribus pedibus vibrare, & cum eo pugnam inire; feles, mures, mustelasque occidit, atque ipsis vescitur, sed longè libentius aviculis, gallinisque, & aliis gallinaceis pullis vivit, facileque eas, in ipsas se ipsum ex posterioribus pedibus vibrans, capit. * Marem hunc habui in meo cubiculo per multos menses, quem postea cuidam amico advenæ in Italiam redeunti dono dedi. Semper in meo cubiculo manebat, excepto eo tempore quo sibi victum procurabat, tunc enim ad prædam capiendam egrediebatur, moxque saturatus redibat. In meo cubili mecum unà felium modo dormiebat, mecumque canis modo fere semper ludebat. Confirmant Ægyptii naturale odium quo adversus Crocodilum, atque Aspides agitur. Hos pugnando aliquando interimit. At, cum Aspides sint animalia non ovipara, sed vivipera, cum in partu non ova, sed integros catulos excludant, unde viperarum genere hosce serpentes comprehendi in Libro Quinto de Medicina Ægyptiorum, satis superque demonstravimus; inde ex veteribus Nicandrum non fideliter scripsisse constat, Ichneumonem aspidum ova confringere. De Crocodilo etiam quod veteres tradidere, aliquando eveniſſe ut Crocodilum hoc animal interimat, quippe per os ejus, in somno hiantis, in viscera ingressum, atque ab ipso visceribus corrosis, eo modo quem Oppianus versibus expressit, indigenæ non negarunt. Mihi Ichneumon fuit utilissimus ad mures ex meo cubiculo fugandos, qui magna damna mihi adeo intulerant, ut nec meis libris pepercerint, quin ipsorum multos corroserint; etenim, à quodam Hebræo edoctus, ut si meum cubiculum à muribus vindicare voluerim, Murem Pharaonis mihi alerem: eo consilio persuasus, unum parvulum alui, à quo murium damna planè cessarunt, siquidem quotquot offendebat, interimebat, longeque ad hos necandos, fugandosque, fele est Ichneumon utilior.

* *Vide Tab. XIV. num. 3.*

Caput X.

De Elephante, Camelo-Pardali, Leone, Pardali, Tigri, atque Zibetho.

Anno MDLXXXI. menſe Aprili Alexandriæ vidimus Elephantem, atque Camelo-pardalem, quem Arabes Zurnap, & noſtri * Giraffam appellant. Hæc equum parvum, elegantiſſimumque repræſentare videtur, quæ gracili corpore conſtat, collo longo, recto, equino, vultu & colore cervino, innumeris maculis rotundis, minimiſque, & nigricantibus infecto, pedibus anterioribus longis, gracilibus, biſulcis, poſteriores verò longè breviores erant; duo cornicula habebat, & circa frontem habebat etiam quandam eminentiam duram, carnoſam, inſtar parvi cornu. Petrus Bellonius & ipſe cum duobus cornibus hoc animal vidiſſe ſe tradidit. Animal ut dictum eſt benigno verius aſpectu quam fero conſpicitur, tractaturque à quolibet tam facile, ut funiculo ejus capiti alligato, ubivis à quolibet ducatur, quo non inter feras, quum nulla feritate præditum ſit, merito ab iis fuit adnumeratum. Elephas vero erat juvenis, ſed tamen ſpectabatur magni Bovis Lombardici altitudine, & craſſitie: erat uſque adeo perbellè diſciplinatus, ut humanam rerum intelligentiam habere omnibus videretur. Sed mirum eſt quanto majeſtatis decore uteretur, atque illuſtrioribus nominum ſignificationibus ab ea gente coram cohoneſtari oblectaretur. Hi, qui ei præſunt, ut faceret quod volebant, ipſum nominabant regiis nominibus, ſemper ipſum nomine Sultan, & Sultanon etiam, quæ cognominatio apud Turcas Régia eſt. Ad ipſum nonnulli convenerant ut ab ipſius proboſcide ſanarentur ab antiquo dolore capitis quo jam diu fuerant divexati.

* *Vide Tab. XIV. num.* 4.

ti. Itaque qui Elephantem regebant, coram me, & multis aliis rogavit ipsum, ita dicens: O elegantissime, & nobilissimè Princeps, hic homo, qui hactenus vitam miserrimam duxit, atque etiam nunc pessimè vivit ob iniquissimum capitis dolorem, te supplex genibus flexis, etiam atque etiam rogat, ut ipsum à tanto dolore liberare non neges; & longè pluribus verbis magnificè prolatis, postquam ei illud persuasit, caput illius, qui ab ipso sanari exoptabat sedulo an mundum esset conspiciebat, & si mundum erat, ipsum suo proboscide retrahebat, & postquam aliorum non paucorum capita suo proboscide contexit, à dolore ipsos liberavit. Profecto ad hujusmodi excruciantes dolores antiquos persanandos proboscis, Elephantis diu supra capita detentus, est utilissimus, utpote qui suo multo calore, futuras capitis aperiat, & humores, vel crassos vapores, capitis membranas nimium distendentes, digerendo difflet. Nos enim tunc temporis audivimus, illos omnes quorum capita proboscide foverat, fuisse multum adjutos, atque eodem præsidio multos, qui sæpius usi fuerunt, planè sanos evasisse. Sed jam ad feras quidem, quas in ea regione observavimus dicendas declinemus; quæ fuerunt Leones, Pardales, Tigres, Hyenæ, Civetæquè. Leones ibi habentur, sed non multi, usque adeo à prima ætate cicurati, ut mansuetissimi evaserint, & maximè fideles. Minores ibi vivunt quam in Asia, atque in Æthiopia vivant; ita audio eos & mansuescere, & disciplinari, ut in venatu ipsis multi perinde atque vulgo canibus, utantur. Leæna Tigri fœminæ simillima est, totum corpus maculatum habens, leone mare longè crassius. Tigres ex Æthiopia in Ægyptum convectas vidimus, etsi nullo modo cicuratæ hæ mansuefiant, neque unquam ferinam naturam relinquant. Sunt leænis quam similes, & forma, & colore albicante, rotundis maculis fulvescentibus evariato, sed leænis longè majores sunt. Inibi vero Pardi, Pantheræve copiosius vivunt. Pardus mas est, Panthera fœmina. Animal longum est, colore albicante, maculis varium, oculatis enim ex fulvo, aut nigro circulis ejus color albicans infectus est,

ut breviter dicam, hoc animal Leoni quam ſimillimum, ſed in vultu ad Felem maximè declinat: atque ut Felis ſtertit, dormit libenter in molli ſtrato, habet pilos eosdem albicantes ſupra os, qui in Felis labiis viſuntur: eſt ſane Pardus Leoni quam ſimillimus, dico longitudine, atque figura, differt vero à Leone, quoniam & jubam non habet in collo, ut Leo, & maculis rotundis, parviſque fulveſcentibus toto corpore infectus eſt. Minus vero animoſus eſt quam Leo, & cum ipſo pugnat à tergo, inſidiis uti ſemper ſtudet. Panthera vero & longe animoſior eſt, & cum Leone pugnam nunquam declinat. Quo tempore perveni Alexandriam, duos Pardos uti Leones maximos vidi apud Antonium Calepium nobilem Bergomatem pro Veneta Natione Pro-Conſulem, ibique magnum mercaturæ negotium agentem, qui ex iis ſemper aliquot nutriebat lucri cauſa. Unum aliquando vendidit quingentis coronatis. Uſque adeo cicures erant, ut una cum eo dormirent felium modo ſtertendo: ii manſueti erant, ſemperque in lectulis Pro-Conſulis decumbentes dormiebant, culcitraſque illi etiam ſericeas, & magni pretii lacerantes: carne eos nutriebat. Sæpe à nobis cum Pardo ibatur ad venandas Gazellas, & pugnam inter ipſos pulcherrimam quæ fiebat, admirabamur, præſertim Gazellæ artificium cum Pardo, cornibus duriſſimis armatæ pugnando, ſed eam tandem multum defatigatam, atque ex pugna admodum defeſſam, interimebat. Cairi poſtea vidimus quandam Helenam, Græcam meretricem, quinque catulos recenter à Panthera effuſos, aureis Turcicis triginta, ex Arabe coëmiſſe, eoſque ut feles aluiſſe, eos enim parvulos lavabat, pectebat, omnique cibo humano conſuefaciebat. * Erant omnino viſu pulcherrimi: albicabant colore, maculis parvis rotundis toto corpore evariato; parvos feles pulcherrimos æmulabantur: fere ſemper ut feles dormiebant, atque non citra ſtertorem, non minus quam catulos eos manſuetos reddidit. Parum quidem differentiæ inter Pardum, atque Pantheram intercedere obſervavimus. Panthera major quidem Pardalis, & toto corpore, & capite eſt, atque multo ferocior. Eſt

* *Vide Tab. XV. Num.* 2

&


2


1

& animal illud quod odoratum excrementum ex teſtibus exſudat, Arabibus Zebet vocatum, à quo nomine corrupto forte Bellonius credidit, Civetam appellatum fuiſſe. Complura horum animalium vidimus in caveis ferreis ab Hebræis multis, atque Mauris, ſumma cuſtodia enutrita: illis copioſam carnem ſemper ſuppeditant, ut ex multo cibo plethorica evadant, plurimumque ex teſtibus, & inguinibus Zebeti reſudent: illud etenim magno pretio vendunt. Ego vero pro drachma illiuſce excrementi, quod me præſente digitis ex animali extractum fuit, quatuor aureos Venetos ſolvi. Extractum eſt veluti ſpuma candida, uſque adeo validi odoris, ut à quoquam ferri nequeat, locuſque, in quo hæc animalia vivunt, ita eo odore acuto fetet, & moleſtus eſt, ut à noſtris ſine multa capitis noxa perferri non queat: poſt multum tempus in fulvum nigricantem mutatur, odorem prævalidum, omnino ingratum, in mitiorem, ſuaviorem, & gratiorem mutat. Indigenæ ita hoc pigmentum adulterant, ut auſim affirmare, nullum Zibetum ſincerum ad nos deferri. Animal eſt, non modo, ut Ariſtoteles de Hyæna ſcripſit, lupi colore, ſed ferè in omnibus Lupo ſimile, niſi quod ſit Lupo minus, & habeat caput magis mucronatum, ab ipſo pilis multis albicantibus barbæ modo dependentibus, aures parvas habet oblongas, totum corpus maculis multis non rotundis obſcureſcentibus maculatum, itemque & caudæ extremum. Ferum eſt admodum ut omnes affirmarunt, undè non ſine multa admiratione legi apud Bellonium, unum Alexandriæ ita cicurem ab ipſo conſpectum fuiſſe, atque manſuetum redditum, ut perinde atque Canis cum hominibus ludere obſervatum fuerit, atque ipſum liberè manibus perinde atque manſuetiſſimum canem tractari à quolibet potuiſſe. Bellonius non immeritò credidit Hyænam eſſe antiquorum: at, ex veteribus tamen nullus expreſſit Hyænam excrementum reddere illud odoratum. De Panthera potius Ariſtoteles affirmaſſe viſus eſt, quod neque verum eſſe cognovimus, qui plures, ut diximus eorum animalium obſervavimus.

Caput XI.

De variis ſimiarum generibus in Ægypto obſervatis, & primo de Cynocephalis vocatis.

Etſi in Ægypto nullum ſimiarum genus naſcatur, cujuslibet tamen generis & ex Arabia Felici, & ex Æthiopia innumeræ mercaturæ cauſa illuc convehuntur. Quæ tametſi mutuo variis differentiis interſtinguantur, duobus ſimiarum generibus comprehendimus: nempe ſub Cynocephalis, atque Callitrichis vocatis. Cynocephali vero ſimiæ variis diſtinguuntur differentiis. Quædam enim, (etſi omnes ad caninam faciem inclinent, unde nomen invenerunt) maximorum canum magnitudine ſpectantur, quædam vero parvis canibus ſimiles exiſtunt. Sunt autem ferè omnes caudatæ, etſi aliquæ ſine caudis cernantur. Viſuntur colore fulvo, albicante leræque, caneſque maximè æmulantur, & facie, & moribus. Ita vero ſolerti ingenio valent omnes, ut expertes alicujus cognitionis minime æſtimari debeant. Quo Circulatores hæc animalia, quæ volunt facile docent, ludoſque potiſſimum varios, maximeque induſtrios, quibus ii ſpectatores delectare in ea regione ſolent, ut nos ſæpius & Cairi, & Alexandriæ, & alibi in ea provincia cognovimus: quibus haſce ſimias facilè diſciplinabiles eſſe conſtat. Mares plurimum libidinoſi ſunt, in mulierumque libidinem perpetuo aguntur. Plura de iis dixiſſem, niſi verecundia, & modeſtia rerum obſcenarum me continuiſſet. Hoc unum tamen non diſſimulabimus, quippè hoſce Simios Cynocephalos, magnis canibus ſimiles, Arabicis mulieribus, præſertimque rura habitantibus, eſſe plurimum ex libidine infeſtos, atque adeo quibusdam anni temporibus, ut eæ mulieres ab ipſis minimè tutæ ſint, ſiquidem has vi ſubi-

ſubigunt, atque rem veneream magna libidinis rabie cum ipſis explent. Quæ ruri agunt, ob hunc timorem, ne vi Simiis venere jungantur, faciem croco ſibi ipſis tingunt, & totum corpus etiam, atque hoc ſecreto ſe maxime à ſimiorum libidine tutas reddunt, ita ut nullam ex illis croco tinctam, ſeu infectam, Simii invadant, credentes iis colore croco infectis fluere menſes: quo ab iis abſtinent, veluti nec ſimias menſtruas habentes purgationes ad concubitum attingunt. Simiæ Cynocephali, ſive caninæ vocatæ, magnitudine majorum canum, variæ à nobis viſæ fuerunt, quarum imagines plures hic damus, ex Simiis ex Alexandria Ægypti Venetias deductis, affabre à Veneto Pictore delineatas, diligentia, & liberalitate Nicolai Contareni Veneti Patritii maximè illuſtris, qui rerum naturalium cognitione, & ſtudio plurimum delectatur, præſertimque ſtirpium peregrinarum, & nobilium obſervatione, in qua re & ad Hiſtoriam hanc conſcribendam, & ad Libros de Exoticis Plantis à nobis evulgandos, in multis nos eximia ſua liberalitate multum adjuvare ſtuduit, unde non paucas plantarum peregrinarum, & animalium imagines delineatas, quas in hiſce noſtris libris dedimus, ejus liberalitati acceptas fatemur, veluti & pictas Simiarum imagines quas hic damus, ab eo itidem accepimus. * Primum datur hic imago Simii Cynocephali magno Cani Anglico perſimilis, qui admodum ferus, infidelis, ferinis moribus deprehenſus eſt. † Alterius Cynocephali magni imaginem ſecundo expreſſam itidem damus; quod animal mitioris naturæ, & benignioris eſt. Ferox tamen & ipſum eſt antequam cicuretur, & manſuefiat. Hilaris hic Simius eſt, atque facile diſciplinabilis. Olim Euſtachius Rudius Philoſophus, & Medicus illuſtris, qui è Prima ſede Practicam Medicinam in Patavino Gymnaſio multos annos maxima cum laude eſt interpretatus, aliquando de iſtiuſce Simiæ ſolertia aliqua narrabat, ſed inter alia, quod cum unum haberet, hyemeque apud ignem frigoris cauſa, à quo plurimum hæc animalia læduntur, maneret, & vidiſſet caſtaneas complures ſub ignis cineribus ferè decoctas latere, nullumque vel lignum,

* *Vide Tab. XV. num.* 1.

† *Vide Tab. XVI.*

gnum, vel aliquod aliud inſtrumentum ad extrahendas in promptu haberet, viſo Fele ſibi ſocio apud ignem dormiente, repente manu apprehenſo brachio ipſius altero, caſtaneas è ferventibus cineribus ipſum extraxiſſe, atque comediſſe, non abſque miſeri Felis ab igne magna læſione. Huic ſimilis * ſimia viſa eſt ſupra aures comata ejusdem cum priori naturæ. Damus, & quarto † alterius Simiæ Cynocephali pictam figuram, in qua apparet maxima ex toto corpore ad hominem ſimilitudo: Habet & ipſa ad utramque aurem magnam comam dependentem. Hæc merito cæteris Cynocephalis viſa eſt elegantior, pulchriorque, ingenioque benigniori, ac cæteris aliis ſolertiori, fideliorique amicitia ad homines. Huic etiam ſimilis viſus eſt, cujus ‡ imaginem itidem hic damus: eſt tamen ægreſtiori facie, & natura ferociori, & infediliori præditus, atque hæc ſimia eſt ultima ex magnis Cynocephalis. Sequuntur Cynocephali longe minores, parvis etiam canibus perſimiles, quorum damus etiam quasdam imagines delineatas, numero vero tres, ** Figura prima eſt earum ſimiarum, quæ caudas non habent. Hæ cæteris facilius, & citius manſuefiunt, cæterisque ſolertiori ingenio præſtant, hilarioreſque, & verſutiores exiſtunt. *** Tertius eſt ex iis qui vulgo Monichi vocantur, caudati, & barbati: ex Æthiopiæ locis conterminis in Ægyptum deducuntur, ſuntque admodum cicures, & mundi, non tamen eo ingenii acumine, ut alii cynocephali donati ſunt. At ut feles naturam ingenii habent, atque hæc de Simiis Cynocephalis à facie canina vocatis ſufficiant. Sequuntur has Simiæ caudatæ, & barbatæ, quas callitriches Ariſtoteles vocavit, quæ prioribus admodum diſſimiles cernuntur. Quædam maximorum Canum magnitudinem habent, & quædam mediocris ſunt magnitudinis. Rarò hæ ſimiæ bipedes incedunt, ſed quadrupedes brutorum modo. Habent alias differentias quibus interſtinguuntur: etenim aliquæ ex iis toto corpore nigerrimæ ſpectantur, faciei cum toto corpore figura ad leones accedentes, crinitasque jubas veluti leones habere videntur, ſed pilis nigris pendulas. ¶ Hic ſimius in pectore craſſior

* *Vide Tab. XVII.*

† *Vide Tab. XVIII.*

‡ *Vide Tab. XIX.*

** *Vide Tab. XX. num. 1.*

*** *Vide Tab. XX. num. 3.*

¶ *Vide Tab. XX. num. 2.*




1
2
3
4

craſſior apparet, & circa ilia ſubtilior, ut leones. Caudam latam pilis longis, prolixiſque cubitalem, & ampliorem habet: facies vero ad leoninam quadantenus inclinat, ore, & dentibus itidem proximis. Barba ex mento pendet longa, lata, nigris pilis obſita. Aures humanis longiores cernuntur, totaque facies nigerrimo ſplendet colore. Hic Simius haud injuria à nobis Callitriches leonino corpore dictus eſt. Hoc Animal etſi naturam maximè ferinam habeat, nihilominus adeo facile cicuratur, ut cibo manſuetiſſimum omnibus evadat, hominibuſque quos novit, benevolam, fidelemque amicitiam conſervet. * Alterum ex iis Simiis Callitrichis Alexandriæ una cum priori manentem vidimus, colore aſinino, & corpore toto, & facie non diſſimili, barba caprina, & quemadmodum hic Simius horrida præditus forma, ita & agreſtis, & ferox, illiberaliſque, & infidelis omnibus fuerat, & tametſi, cicur factus videatur, nunquam tamen illi fidendum, quando animal ſit ferinum, atque infidum. Hos duos poſtremos Simios, ut nuper diximus, Alexandriæ vidimus in Veneto Oenopolio ab Illuſtriſſimo Franciſco Priulo pro Sereniſſima Veneta Republica ibi Conſulatum agente emptos. Leoninus, nigerrimuſque, ut dictum eſt, & facie, & toto corpore, Carander appellabatur, atque alter aſininus, & colore, & figura, Suidam. Hic etſi animal mole majus, alteri obediebat, ipſumque plurimum formidabat, & timebat. Et, ſi cibus ei offerebatur, non audebat ipſum, prius quam Carander accepiſſet, & comediſſet, accipere, & comedere: Quem ſi fortè negligenter aliquando ab aliquo accepiſſet prius, Carander ipſum morſibus peſſime puniebat. Suidam vocatus, ſi aliquem odio habere cœpiſſet, vix ipſum videre poterat. Erat quidam Vir Chriſtianus Cophtus Mercatoribus Venetis in Oenopolio commorantibus ſerviens, (memoria non teneo quamobrem ab hoc Simio ille ſervus Cophtus odio habitus fuerit) quem Suidam ita odio habebat, ut continuò eo conſpecto, roſtro oblongato, varias motiones, diſtorſioneſque in illius ſervi deriſionem, atque injuriam faceret, & toties quoties illum videbat, injurius, & moleſtus

* *Vide Tab. XX. num.* 3.

eſſe ſtudebat. Aliquando hic Chriſtianus ludendi gratia, ligno accepto fingebat ſe ipſum verberaturum; è quo repente Simius fortiſſimis manibus ligneo bacterio ſubrepto Chriſtianum peſſime in capite verberavit. * Hos duos Simios poſt multos annos Venetiis agentes recognovimus. † Simium Callitrichum alium Cairi duos annos in ædibus habuimus, felem magnam quadantenus magnitudine, & figura æmulantem. Anibal dicebatur, prolixiori corporis figura, capite parvo erat, rotundo, in quo facies humana maximè exprimebatur, ore leonino, & dentibus felinis, corpore circa ilia gracillimo, toto corpore rufo, rutilove ſpectabatur: facies vero humanæ ſimilis fuit, nigra, undique barbata, ſed barba albi erat coloris, unde faciem ſenilem, elegantiſſimamque habere ipſe videbatur: caudamque longam, rutilamque habebat. Nuſquam aliquod animal vidi, quod gemendo evidentius, expreſſiuſque humanam vocem hoc ipſo Simio ediſſe putaretur: perinde atque felis cicur, & manſuetus cum omnibus fuit: timidus tamen erat, & puſillanimus, talemque cum fecerit natura ipſum, idcirco ingenio præſtantiori donavit, atque adeo, ut cum aliquod animal ipſum aggredi videret, continuò os magnum aperiendo illi occurrens, maximum timorem, & formidinem inducendo, ipſum fugaret: quem rictum os ſic apertum ſervabat, horridum, atque barba alba totam faciem circumdante, ejusque pilis prolixis, & canis, oreque leonino, formidabilem aſpectum efficiebat, ita ut animalia multa primo intuitu expaveſcerent, & ab eo fugerent. Hanc ingenii calliditatem roboris loco ei natura donaſſe viſa eſt, qua ſe defenderet ab inimicis, iis horrido eo aſpectu maximè timorem incutiendo: acies tota, præſertim vero oculi, cilia, naſus, aures, barba, manus, & pedes, ad humanam figuram maximè inclinabant. Ingenio præſtanti ita valebat, ut ſæpe ex iis quæ faciebat ipſum maximè fuerim admiratus, & viſus fuerit mihi rationis ex toto non expers. In reditu ad patriam navigando Corcyræ è navi clam mihi fuit ſurreptus. Quædam Simiæ ex Callitrichis viſuntur magnitudine magnorum Cynocephalorum, nigro colore, totius corporis, & faciei præſer-

* *Vide Tab. XX. num.* 2. & 3.

† *Vide Tab. XX. num.* 4.





ſertim, quæ undequaque eſt cæſarie magna pilorum nigrorum circumdata. Hilari, & eleganti faciei ſunt, admodumque cicures, manſuetæ, benevolæ, atque fideles hæ Simiæ obſervantur. ‡ Imaginem pictam quam hic damus miſit ad me Nicolaus Contrarenus Patritius Venetus maximè illuſtris, ad Simiam ex Ægypto Venetias deductam affabre pictura delinatam. ‡ *Vide Tab. XXI.*

Caput XII.

De Cheropotamo, & Hippopotamo feris in Nilo Flumine naſcentibus.

Antequam rediturus in Patriam Cairo diſcederem, cum quadam die in aula Pro-Regis Ægypti viſitarem aliquot Turcas, in platea ante palatium Pro-Regis vidi * duo animalia quorum pelles paleis erant impletæ, ejusdem figuræ, differentis vero magnitudinis, ſiquidem unum erat craſſum, elephantis modo magnum, cujus etiam ferè ſimili figura prædictum eſſe videbatur, atque alterum parvum, ferè par magno porco. Hoc dicebant eſſe majoris ex alvo extractum, quippe ex matre utero gerente. Caput ferè videbatur ad equinum non nihil parum inclinare, craſſius tamen, habens roſtrum reſimum, quadantenus ad porcum etiam inclinatum, ore vero ferè porcino conſtabat, oculiſque porcinis, aures equinas, ſed breviores, latioreſque habebat, collum breve, craſſum, toto corpore nigrum erat, pedeſque non biſulci erant, ſed quadrifidi; cauda brevis, rotundaque. Referebant hoc magnæ molis animal in littoribus Nili fluminis penes urbem Damiatam captum fuiſſe, paucoſque poſt capturam dies interiiſſe, atque ex ejus ventre diſſecto fœtum mortuum extractum fuiſſe, Pro-Regemque Ægypti harum beſtia- * *Vide Tab. XXII. num.* 1, & 2.

rum pelles ad Turcarum Imperatorem brevi esse missurum. Hoc animal non esse equum fluviatilem, quem Græci Hippopotamum appellarunt, sed fortasse, cum non abhorreat à porcina forma, esse potius porcum fluviatilem, Cheropotamum Græcis dictum, facile crediderim. Non fuisse vero Hippopotamum vel eo argumento deprehendebatur quod non haberet dentes exertos, ut omnes veteres de equo fluviatili unanimiter tradidisse visi sunt; cujusmodi postea corium legitimi Hippototami Alexandriæ nos vidisse contigit, in quo erant dentes exerti, magnique ut in apris. Ad hujusmodi animalis prædicti effigiem Hippototami imago ab Andrea Mattheolo in suis ad Dioscoridis libros, de re Medica conscriptos, commentariis doctissimis, quam maximè accedere videtur, quam perperam Bellonium pro legitimo Hippototamo pinxisse tradidit Mattheolus. Neque enim in hac fera dentes apri modo exerti cernebantur, neque notæ ad equum fluviatilem ullo modo accedere visæ sunt. Nos vero quod potius ad porcinam formam pleræque notæ inclinare videantur, idcirco non equum, sed porcum fluviatilem eam bestiam esse credidimus. Unde rectè quoque olim de iis septem Hippopotamis, qui Romæ in Nilo coloseo sculpti visuntur, judicasse visus est Mattheolus, quippe persuasus eos non fuisse Hippopotamos. At Antiquos etiam in Hippopotami cognitione deceptos quorundam relatione fuisse non leviter suspicamur, quemadmodum & in aliis animalibus, atque in compluribus Plantis in Indiæ locis nascentibus posteriores viri, qui omnia Indiæ, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique loca probe navigationibus illustrarunt, antiquorum multos deceptos fuisse deprehenderunt. Etenim Aristoteles, & alii ex veteribus, equo fluviatili, & jubam equinam, & bifidos pedes inter alia attribuisse visi sunt. Cum tamen nullus unquam, (ut nos ab Ægyptiis multis, sed præsertim à Damiatæ Urbis incolis) penes quam in Nilo flumine Hippopotamos omnes ferè vivere deprehenderunt, accepimus, viderit aliquem ex multis Hippopotamis, qui variis temporibus in Nilo flumine inventi fuerunt, atque capti, jubam equinam habentem,

vel

vel etiam pedes biſulcos, ut antiquis viſum fuit. Quo merito ſuſpicati ſumus, potius Ariſtotelem, atque alios dicentes equum fluviatilem juba equina præditum eſſe, pedibuſque biſulcis, aliorum relatione fuiſſe deceptos, cum Hippopotami qui inibi capti, accuratèque obſervati fuerunt, habeant equinam faciem, denteſque exertos apri modo, & corium tergoris uſque adeo validum, & durum, ut ad clypeos uſum olim apud eas gentes habere proculdubio potuerit. Quis amplius dubitabit eas beſtias eſſe legitimos Hippopotamos, cum habeant notas Hippopotamo aſſignatas? De equina facie nemo dubitavit: de dentibus aprorum modo exertis, Ariſtoteles, atque alii fere omnes antiqui illud apertè affirmarunt. Coſmus Indopleuſtes (Petro Gillio referente) qui Juſtini Imperatoris tempore de India, & de Æthiopia ſcripſit, teſtatur, ſe dentem Hioppopotami Niliaci tredecim libras ponderantem vidiſſe. Pauſanias ſcribit, Hippopotamum dentes in inferiori maxilla, ut aper, exertos habere, eoſque adeo conſpicuos, & grandes, ut in Arcadicis ille ſcribat, apud Proconneſios matris Dindymenæ ſimulachrum aureum extitiſſe, cujus facies eboris vice è dentibus Hippopotamorum erat conformata. Ex iis dentibus non pauci ex Arabibus Hippopotamum Elephantem fluviatilem vocant, quod animal, capite excepto non parum ei ſimile videatur: corium in tergo eſt uſque adeo validum, & durum, ut inde homines agreſtes, atque Reverendi Monachi montis Sinai ſoleas ad calceos faciant, quæ in ſicco ſolo geſtatæ, diutiſſimè durant. Sed quid amplus? An non ab indigenis deprehenſum quoque eſt, longaque obſervatione cognitum, eam beſtiam Niliacam ſæpe quidem plethora laborantem, ſibi cannæ acuto cuſpide vena in crure diſſecta conſueviſſe ſanguinem mittere: Indigenæ enim ſæpe in Nili littoribus ſanguinis recentiſſimè excreti colluviem in terram ſparſi idcircò obſervant, quod de Hippopotamo ab antiquis quoque traditum fuit. Iſtiuſque beſtiæ corii, & reliquarum partium * hæc diligens exarata à diligentiſſimo pictore imago à nobis datur. Eſt itaque Hippopotamus animal Niliacum, etſi alibi ipſum etiam

* *Vide Tab. XXIII.*

etiam vivere conſtat, magnitudine, non Aſini, ut credidit Ariſtoteles, ſed mediocris potius Elephantis, corio nigro, in tergo duriſſimo: † caput ad equinum quandantenus inclinans viſitur, roſtrum reſimum eſt: oculos vero rotundos habet: aures parvas fere equinas; os autem magnum habet, magnis, multiplicibuſque dentibus armatum, quorum duo majores aliis in maxilla inferiori exeruntur, apri modo, ut de Hippopotamo Pauſanias expreſſit, collum breve habet, craſſumque citra jubam, quam perperam Ariſtoteles, & alii huic animali tribuiſſe viſi ſunt, pedes etiam non bifidos, craſſoſque habet, caudam brevem, & alvum craſſum. Vocem equinam edit, illiuſce gentis relatione. Veſcitur herbis iis omnibus, quas boves edunt. At carnivorum eſſe & ea Damiatica gens affirmat, & dentes multi, magni, duriſſimique eburnei nobis argumento eſſe poſſunt, quod ad frangendas carnes duras, animaliaque duræ carnis, & corii duriſſimi, atque ad oſſa itidem atterenda, factos à natura fuiſſe, liquidò conſtare viſum eſt. Quod vero extra aquam diu vivere nequeat, apud omnes receptiſſimum eſt. Nihilominus Petrus Gillius in epiſtola ad Cardinalem Armaigniacum ſcribit: Se Hippopotamum vivum ex Ægypto Byſantium convectum vidiſſe. Quod quidem animal iisdem à nobis præmiſſis notis, ſua imagine preſſit: mirumque eſt dixiſſe mitiſſimum eſſe, ita ut manibus tractari neque indignaretur, neque ſi aliquis os ejus aperire tentaſſet. Atque hic eſto finis quarti libri, totiuſque Hiſtoriæ Ægyptiacæ Naturalis, quam præ voluptate, & dulci memoria rerum inibi obſervatarum, ſcribendam inſtitueramus. Deo Optimo Maximo laus, & honor.

† *Vide Tab. XXIV. & XXV.*

FINIS.

IN-

TAB. XXIII.





INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abdellavi *peponis genus in Ægypto*, 65. *ipsius in Medicina utilitas*, 65

Abelmeluc *semina, quæ ex Mecha deferuntur violentissima vi purgatoria prædita*, 181. *majora sunt & minora, sed hæc venenum sunt exitiale*, 181

Abissinæ *servæ forma sunt elegantissimæ & ideo pretiosissimæ*, 49, 50

Accipitres *in Ægypto copiosi*, 200. *utuntur iis ad venandum Arabes*, 200

Ædes *Cairi circa medium latissimam habent fistulam ligneam ventum septentrionalem frigidum excipendi caussa*, 22, 23. *ab Austro plurimum vitiantur*, 29

Ægyptii: *Illorum indoles & natura*, 2. 3. *natandi peritissimi*, 10. *singularis illorum erga parentes & amicos etiam in sepeliendis cadaveribus amor*, 34. *Illorum sepulcra & mos condiendorum cadaverum & quibus ad eam rem usi videntur remediis*, 34, 35, 36. *Illorum Regimen*, 42. *seqq. equitandi peritissimi*, 47, 48. *Illorum servi*, 49. *seqq. Illorum stragula & accumbendi mos*, 54, 55. *Illorum vasa, & fictilia*, 55, 56. *Illorum Comœdiæ*, 60. *Illorum circulatores, & circuitores*, 61, 62. *Illorum cibi & potus*, 63-71. *Illorum temperamentum & habitus*, 71, 72, 73. *Quibus maxime morbis infestentur*, 73-77. *Arabicæ eloquentiæ studiosissimi & ceteræ, quibus delectantur, scientiæ*, 85, 86, 87, 88. *Illorum religio & status civilis*, 89. *seqq. Illorum monachi & cœtus religiosus*, 93, 94. *de illorum Medicina & Medicis*, 118, 119, 120. *Illorum victus ratio & quibus modis sanitatem tueantur*, 120. *seqq.* Oculorum *dentiumque maximam gerunt curam, & quibus ad conciliandam illis gratiam, utantur medicamentis*, 127, 128, 129. *Ad urgendam venerem quibus utantur medicamentis*, 130. *seqq. cur non vexentur podagra antiquata*, 184

Ægyptus, *quibus maxime celebris reddatur & admirabilis*, 1, 2. *ipsius temperies & aëris constitutio*, 2, 4, 5, 6, 7, 73. *ipsius situs*, 3. *arbores quæ perpetuo ibi virent*, 7. *Quamdiu Nilo flumine inundetur*, 6. *Nilo flumine habitabilis reddita*, 8. *Plurimis antiquitatis vestigiis illustratur*, 15. *solum in quibusdam locis habet nitrosum, ob quod corpora ibi sepulta in Mumias siccantur*, 37. *Nullas habet vias, sed vel campos vel arenam vel flumen*, 39. *Ipsius Regimen*, 42. *seqq. præfectum plerumque habet. Eunuchum*, 45, 46. *Equos habet pulcherrimos & equites omnium mortalium dexterrimos*, 47, 48. *Quibus maxime morbis infestetur*, 73-77. *Status ibi civilis*, 89, 90, 91. *quas producat terras*, 137, 138, 139. *Sale abundat optimo, ut & nitro*, 140, 141, 142. *Marmora variique generis lapides ibi copiosi*, 142, 143. *quænam ibi nascantur gemmæ*, 144. *seqq. Variis conchiliorum generibus abundat*, 146. *medicamenta, quæ ibi observantur, metallica*, 150. *seqq. Stirpes quæ ibi nascuntur*, 152, 153. *Plantæ oleraceæ quæ ibi nascuntur*, 153.

153. *seqq.* *Radices esculentæ quæ ibi nascuntur*, 161. *seqq.* *Plantis cerealibus & leguminibus abundat*, 175. *seq.* *plantæ, quæ ibi nascuntur, non esculentæ & usus earum*, 178. *seqq.* *quænam ibi inveniantur aves*, 197. *seqq.* *Insecta quænam habeat animalia*, 204 *seqq.* *serpentes quæ ibi observantur*, 207. *seqq.* *Animalia, quæ ibi vivunt lacertosa*, 215. *seqq.* *Animalia quæ habet, quadrupedia domestica*, 220 *seqq.* *Quadrupedes quæ ibi reperiuntur sylvestres*, 232. *seqq.*

Ætites *lapis, qui nascitur in Ægypto, cur quibusdam aquilinus dictus*, 147. *cujus sint figuræ*, 147. *quidam ex illis cum quatiuntur obstrepunt alium intus lapillum continentes*, 148 *quem in Medicina usum præstent*, 148

Acontia *sive* Jaculum *serpens qui in Ægypto & Æthiopia maxime observatur*, 211. *cur ita dictus sit*, 211

Agiromia *liber ita dictus Arabicæ eloquentiæ continens regulas*, 85

Alabastrites *candidus in Ægypto duplex nascitur durus unus alter fragilis, qui inter Gypsa reponitur*, 142. *est & tertius mellei coloris*, 143. *Quem in Medicina usum hi lapides præstent, & quomodo dissolvantur*, 143

Alalandici *lapides coloris nigerrimi*, 143

Alexandria *quam ampla & majestuosa fuerit vestigia ejus adhuc dum declarant*, 16. *duo capita marmorea integra ibi effossa, alterum Cleopatræ alterum M. Antonii*, 16. *aer cur ibi longe insalubrior quam antea est*, 16. *unde cives partem mari adjacentem frequentius habitant*, 16, 17. *Viridaria ibi pulcherrima & fructus optimi*, 17. *ibi die Veneris orandi tempore omnes Christiani ædibus suis includuntur & quare*, 92, 93

Allium *in usu apud Ægyptios frequentissimo*, 174. *ex Italia illuc convehitur & maximo venditur pretio*, 174 *quosnam in Medicina usus obtineat*, 174

Althæa *in Ægypto copiosa & ejus usus in Medicina frequens*, 156

Alocæ *in Ægypto meliores quam alibi*, 202

Alumina *cujusque generis, copiosa in Ægypto*, 150

Anaclinteria *Ægyptiorum sunt pretiosissima*, 55

Anguillæ *in Ægypto brachium crassitudine æquant*, 202. *usus earum insalubris est & quodam tempore exitialis & quare*, 202

Anguria Indica *quænam sit*, 65

Annonæ *caritatem vel copiam Ægyptii quomodo prævideant*, 8, 9

Antimonium, *decoctum ex eo collyrii modo instillatum ad tuendam oculorum & sanitatem & gratiam est utilissimum*, 128

Antispodium *quomodo Ægyptii parant*, 150. *ad virium robur adhiberi solet*, 150

Arabes *latiori sensu omnes Mauros comprehendunt*, 78. *proprie sunt a quibus Mahemetes ortus est*, 78. *hi in montibus & desertis sub tentoriis degunt*, 78. *Turcas capitali prosequuntur odio*, 78. *illorum magna animositas & fortitudo*, 78. *nullo exercitii genere delectantur præterquam armis quibus victum quæritant*, 79. *arte equitandi perissimi*, 79. *ingenii illorum vivacitas & humanitas summa*, 79. *venatione maximopere delectantur*, 79, 80. *a nullo unquam populo sunt subacti*, 80. *filii Regis illorum fortitudo summa & incredibilis*, 81, 82. *Stipendia illis persolvunt Turcæ metu devastationis agrorum suorum*, 82. *locum muris cinctum nunquam ingrediuntur*, 82. *fidem datam illorum nullus unquam violavit*, 82. *illorum fortitudinis exempla alterum*, 82, 83

Ara-

RERUM MEMORABILIUM.

Arabica *eloquentia in Ægypto plurimum excolitur*, 85. *libri de illa compoſiti*, 85

Arabicæ *literæ quot ſint numero*, 86

Arzuele *templum Cairi maximum*, 20

Apes *in Ægypto copioſæ, & quanto ibi ſtudio alantur*, 204

Apium Ægyptium *in Ægypto copioſum*,

Aqua Nili, 158

11. *ipſiipſius bonitas & præſtantia, Ægyptio us uſus in Medicina apud ejus corp s frequens*, 12, 13. *potu cra & ora calida & ſicca ut ut maquænam extenuata pinguia fiunt, & hujus rei ſit ratio*, 12, 13, 125, 26

Aquæ *a meridie in ſeptentrionem currentes a quibusdam bonitate non commenda ntur, & an recte*, 12

Arbores *perpetuo virentes in Ægypto inveniu ntur complures*, 7

Argilla *vilior in Ægypto cæmenti loco eſt*, 138

Artemiſia alba *ubinam in Ægypto naſcatur*, 190

Arum Ægyptiacum *an ſit Ægyptiorum colocaſſia*, 168

Arundines *Sacchariferæ in Ægypto copioſæ*, 160

Aſini *in Ægypto equis neque commodo inceſſu neque celeritate quidquam cedunt*, 221. *ephippii loco parvum tapetem ſuper dorſum illorum ſternunt*, 222. *quomodo ab onagris differant*, 222

Aſpides *ſerpentum genus omnium maxime exitiale, in Ægypto copioſi*, 207. *tres illius obſervantur ſpecies*, 207, 208, 209. *illorum morſus quænam excitent ſymtomata*, 209. *an cicurari & manſuefieri poſſint*, 209

Aſſis *herba quædam ad augendam venerem Ægyptiis adhiberi ſolita*, 133 134. *quomodo ex ea electuarium Bernavi paretur*, 135

Aſtrologia *Judiciaria in Ægypto maximopere excolitur*, 85, 87

Atriplex *herbæ genus in Ægypto copioſum*, 157, 158

Aves *in Ægypto viventes*, 197. *ſeqq.*

Auſter *in Ægypto muros vitiat*, 29

B.

Bach *Abiad, & Bachi Aſued Arabibus eſt vitiligo alba & nigra*, 73

Baieram *dies apud Mauros feſtivi in memoriam ſacrificii Abrahami inſtituti*, 96

Balnea *apud Ægyptios in uſu ſunt frequentiſſimo, & quibus in iis medicamentis utantur*, 123, 124

Balnea *Cairi plurima tam publica quam privata*, 23

Balſamum *in Ægypto non naſcitur, ſed planta ejus ex Arabia felici illuc adfertur*, 191. *uſus illius in Medicina præſtantiſſimus*, 192

Baſiliſci *Serpentes ſummæ exitiales cujus figuræ eſſe & ubinam copioſius vivere credantur*, 212

Baſſa *apud Ægyptios quinam ſit et annuum ipſius ſtipendium*, 43. *cur plerumque ſit Eunuchus*, 45, 46

Behem *album & rubrum planta quæ naſcitur in Ægypto, cujus ſit figuræ*, 180. *an radices ejus ſint calidæ & ſiccæ*, 181

Bellonius *Pyramidas in partibus ſeptentrionalibus aliquid paſſas eſſe falſo credidit*, 29. *refutatur ratione putei in Pyramide majore cur fuerit exſtructus*, 32

Bernavi *electuarium ad augendam Venerem adhiberi ſolitum quomodo componatur*, 135

Bers *remedium ad augendam Venerem quomodo componatur*, 135

Bigi (*Paulus*) *Mathematicus & Mechanicus ſummus*, 31. *uſum putei in Pyramide majore exſtructi detexit* 32

Biſſalphaltum, *eo condita videntur Ægyptiorum cadavera*, 36

Boves *in Ægypto pingues & pulcherrimi*, 227

INDEX

Braſſica *rapoſa & florida in Ægypto copioſa*, 157

Bubali *in Ægypto maximi & pulcherrimi*, 228

Buzeidam *planta ad Venerem movendam omnium præſtantiſſima*, 180. *an in Ægypto naſcatur dubium* 180

C.

Cadavera *Ægyptiorum condita* Vid. *Mumiæ*,

Cairum *civitas, an antiqua ſit Memphis* 17,18. *Duplex, antiqua quæ mœnibus cingitur altera quæ extra mœnia cernitur* 18. *arx ibidem pulcherrima & ampliſſima*, 18, 19, 20. *Templa habet complura & maxima* 20. *horreum Ægypti ibidem exſtructum* 21. *maxima ibidem civium copia*, 21. *ædes ibid. tam plebejorum quam nobilium magnificentiſſimæ*, 22, 23. *Balnea ibi multa tam publica quam privata*, 23. *Innumeras habet vias noctu portis clauſas*, 24. *Plurima etiam viridaria quæ rotarum artificio irrigantur, & quænam ibi naſcantur arbores*, 26, 27. *emporium Orientis eſt celeberrimum & quævis aromatum genera ad eam convehuntur*, 27. *Ex quadrupedibus, ex volatilibus & aquatilibus quænam habeat animalia*, 27, 28. *Itineris, quod ſingulis annis ex ea urbe ad Mecham devotionis cauſſa fit, deſcriptio*, 57, 58, 59

Calculorum productionem *potus aquæ Niliacæ prohibet, & calculos genitos expellit*, 13

Calicem *cum hoſtia & duabus tedis accenſis cur Ægyptii in templorum atque ædium parietibus depingant*, 39, 40, 41

Callaſ *Planta in Ægypto, quæ ob odoris ſuavitatem incredibilem diligentiſſime ab agricolis alitur*, 193. *aqua ex floribus ejus parata ad vires roborandas remedium omnium eſt optimum*, 193. *an Avicennæ innotuerit*, 192, 193. *Variæ inter hanc & ſalicem differentiæ*, 194

Callitriches *ſimiarum genus aliis manſuetius & fidius, cur ita dictæ & quænam inter has & Cynocephalos intercedat differentia*, 242, 243. *varia illarum figura*, 243, 244, 245

Caloyeri, *ſacerdotes Chriſtianorum in Ægypto Græcorum*, 97

Cameli *in Ægypto & Arabia copioſiſſimi propter inſigne, quod ex illis percipitur commodum, ſancta animalia dicti*, 223. *Triplex illorum genus*, 223. *Schoenanthi flores depaſcuntur*, 182

Camelæ *quam parum comedant & bibant*, 79, *ab Arabibus cur maximi æſtimatæ*, 80, 224. *Illarum lac ad varios morbos remedium omnium præſtantiſſimum*, 225

Camelopardelus *cujus ſit figuræ*, 236

Cancrus *parviſſimus incredibili curſus velocitate præditus, qui obſervatur in litore maris Alexandriæ*, 203

Canes *in Ægypto copioſi ſed omnes fere Leproſi & qui id fiat*, 230. *ſumma Ægyptiorum erga illos humanitas*, 230, 231

Canities, *quomodo eam Ægyptii retardent*, 124

Caphie *liber Arabicus de linguæ hujus eloquentia tractans*, 85

Capilli *ut ſint pulcri & longi quibus medicamentis utantur Ægyptii*, 124

Capræ *in Ægypto copioſæ & admodum diſciplinabiles*, 229. *quædam ex illis aures, extremitate ſua terram contingentes habent*, 229

Carceris *Arcana dicti deſcriptio*, 112, 113

Cedria, *cur ea non condita videntur Ægyptiorum corpora*, 37

Ceraſtes, *Serpentum genus in Ægypto copioſum*, 209. *cujus ſit figuræ & an cornicula habeat in capite*, 209, 240

Ca-

Calchantus *in Ægypto varii generis reperitur*, 150
Chameleones *animalia lacertosa in Ægyptiis stirpibus frequentia*, 215. *torrido sunt adspectu at nihil adferunt noxæ*, 216. *dentibus carent*, 216. *mirus in illis muscarum venatus*, 216. *Duplicis sunt differentiæ & utriusque figuræ*, 216
Chamira, *ita dictæ sunt Ægyptiis radices, quas Pharmacopæi, pro legitimo hermodactylo venditant*, 184, 185 *nihil habent facultatis purgatoriæ, sed mulieres Ægyptiæ iis utuntur ut evadant pingues*, 185, 186. *an sint Colchici Græcorum*, 187
Champsini *venti in Ægypto pernicioſi, unde ita dicti, & quando flare incipiant* 4, 5
Chamus *Dictionarium Arabicum absolutissimum*, 85
Chelidonia *Aspidis serpentis species cujus sit figuræ*, 208. *illius morsus quænam excitent symptomata*, 209
Cheropotamus *animal Niliacum cujus sit figuræ*, 245, 248
Cherſæa *Aspidis serpentis species cujus sit figuræ*, 208. *illius morsus quænam excitent Symptomata*, 208, 209
Chiromantia *in Ægypto summopere excolitur*, 87
Christiani *in Ægypto non ita nunc litibus vexantur ut ante et quomodo id obtinuerint*, 91, 92
Christiani *Cophti Eutychis sequuntur hæresim*, 101. *sub unius Patriarchæ disciplina vivunt*, 101. *admodum sunt religiosi*, 101, 102. *quomodo parum abfuerit quin Romanæ Ecclesiæ obedientes facti fuissent*, 103-109. *quidam ex illis in deserto D. Macarii asperrimam ducunt vitam*, 113, 114
Christiani Græci *in Ægypto quam profitantur vitam*, 97. *immunitatem habent a vectigalibus*, 98
Cibi *quibus utuntur Ægyptii*, 63--73
Cichoreum *in Ægypto copiosum*, 155 *radicibus ejus saccharo conditis, ne a caloribus lædantur, utuntur Ægyptii*, 155
Ciconiæ *in Ægypto copiosæ*, 199 *magno ibi in honore habitæ quod serpentes occidant*, 199
Circulatores *in Ægypto admodum sunt faceti & bestias quasi erudiunt*, 61
Colchicus, *ejus radix pro diverso anni tempore, quo e terra effoditur, varia pollet facultate*, 188, 189
Collyria *duo ad conciliandam oculis gratiam Ægyptiis maxime familiaria*, 228, 229
Colocassia *radix, quam Nilus producit, vel longa est vel rotunda*, 166. *planta ejus in Ægypto sterilis est in peregrino autem solo aliquando floret*, 169, 167. *an Arum Ægyptiacum sit*, 186. *an antiquorum faba Ægyptia sit*, 169, 170, 171, 172, 173
Colossus *Ægyptius, saxum marmoreum maximum, in quo facies ingens exsculpta visitur*, 33. *per majorem Pyramidem ingressum habuisse videtur*, 34
Columbæ *ab Ægyptiis tabellariorum loco adhibentur & cur*, 44
Columbus *ita dictus piscis volans in Ægypto*, 198, 199
Comœdiæ *ab Ægyptiis in Nili fluminis incisione instituuntur*, 60. *admirabili & incredibili arte per umbras in scenam productas sæpe repræsentantur*, 60, 61
Coriandrum sive Corianum *in Ægypto copiosum, & usus ejus in ferculis parandis frequentissimus*, 156
Crabrones *in Ægypto copiosi*, 205
Crocodilus *bestia immanissima in Ægypto ubinam frequentior observatur*, 218. *cur circa insulam Deltam inveniantur pauciſſimi*, 218. *quam facile a rusticis, uno vel duobus capiatur*, 218 *cujus sit figuræ*, 218. *quemadmodum*

dum os illius ab excrementis carnium in dentibus relictis avicula quædam roſtro ſuo purget, 219
Crocodilus, *ipſius caro comeſta ad venerem augendam maxime confert*, 132
Cultura *agrorum in Ægypto propter Nili fluminis inundationem nulla opus eſt*, 6
Cuſſaf *cibi genus maximum in Medicina uſum præſtans*, 69
Cyaneus *lapis in Ægypto punctis aureis micans*, 149. *quem in Medicina præſtet uſum*, 149
Cynocephali *ſimiarum genus maxime libidinoſum & induſtrium*, 240, 241 *variæ illarum figuræ*, 241, 242
Cyperus *eſculentus, radicula parva non longe a Nilo in terra proveniens*, 175

D.

Damiata *civitas ad Nilum flumen, ipſius deſcriptio*, 38. *via ab hac civitate juxtà Nilum flumen, unica, quæ in tota Ægypto reperitur*, 39
Delta *inſula, cur ita dicta & ubinam jaceat*, 14. *propter fœcunditatem* inſula aurea *Arabibus dicta*, 14. *Orizæ, ſacchari, & ſalis albiſſimi copia ibi ſumma*, 14. *urbs ejus præcipua Finè*, 14. *piſcibus & fructibus ſcatet*, 14, 15
Dentifricia *quibus utuntur Ægyptii ad præſervandos dentes a carie & putredine*, 129, 195
Dipſas *utrum viperæ ſpecies an ſui generis ſerpens ſit*, 210, 211. *illius morſus enexplebilem inducit ſitim*, 21. *ab eo læſi an curari poſſint*, 211
Ditrè *ita dicitur Arabibus pterygium*, 75
Dorſi *labore mulieres pleræque Ægyptiæ laborant*, 77
Draco *verus an fabuloſus ſit ſerpens*, 212, 213
Dromades, *Camelorum genus velociſſimum, in Ægypto & Arabia copioſi*, 223, 224. *quis illorum in bello ſit uſus*, 224

E.

Ebnagel ducam *liber omnia medicamenta tam ſimplicia quam compoſita exhibens*, 119
Elephantiaſis *tam Arabum quam Græcorum in Ægypto graſſatur*, 76, 77
Elephas *animal omnium maxime diſciplinabile*, 236. *quomodo proboſcide ſuo antiquos capitis dolores ſanet & qui id fiat*, 236, 237.
Endivia *in Ægypto copioſa*, 155. *radices ejus ſaccharo conditæ a caloribus præſervant*, 155
Epidemici *morbi quinam ſint Medicis*, 73. *in Ægypto ſæpe graſſantur*, 74, 77
Equi *in Ægypto præſtantiſſimi*, 47 220, 221
Equites *Ægyptii omnium mortalium dexterrimi*, 47, 48
Eteſiæ *venti in Ægypto aërem maxime temperatum & ſalubrem reddentes*, 5, 6

F.

Faba Ægyptia, *figura ejus Mattheolo delineata videtur fictitia*, 168. *muſquam in Ægypto reperitur*, 169
Falcones *in Ægypto præſtantiſſimi & copioſi*, 200
Federicus *Imperator, ipſius inſtitutum Hieroſolymam ex Mahometanorum Dominio liberandi quem ſortitum fuerit exitum*, 39, 40, 41. *quid de omni hac re ſentiendum*, 41, 42
Feminæ *in Ægypto non niſi impetrata a Præfecto venia & ſoluto ipſi vectigali artem meretriciam exercere poſſunt*, 62. *illis templa ingredi non licet*, 92. *poſt mortem non in Paradiſum ex Mahometis lege, ſed in alia quædam loca amœna veniunt*, 92. *ita plerumque ſunt pingues ut locum mutare vix poſſint*, 185
Fictilia *Ægyptii habent varia & quanam ex materia ea conficiant*, 55, 56, 138
Fiſtula *lignea vel ex alia materia in ædibus*

bus Cairi ad excipiendum ventum ſeptentrionalem, 22, 23
Formicæ *in Ægypto copioſæ*, 205
Fructus, *quos poſſunt, Arabes, ſiccos reponunt, & poſtea toto anno aqua emollitos aſſumunt, more optimo*, 66
Fuè *urbs inſulæ Deltæ præcipua*, 14 *omnium ad victum pertinentium copia ibi incredibilis*, 14, 15

G.

G. *Arabes duplex habent gutturale & non gutturale*, 86
Gait *provincia in Ægypto, ubi ſmaragdorum puteus eſt*, 144
Gallinæ *in Ægypto numeroſiſſimæ*, 200 *nunquam ibi glociunt ſed pulli radiis ſolaribus excluduntur*, 200
Gallinæ *Numidicæ in Ægypto pretioſiſſimæ ſunt*, 201
Gazellæ *in Ægypto copioſæ & cujus ſint figuræ*, 232
Generandi facultatem, *quibus remediis Ægyptii præſervant*, 130. *ſeqq.*
Gemmæ *in Ægypto quænam naſcantur*, 144
Geomantia *ars quædam divinatoria in Ægypto & ſummopere ibi exculta*, 87
Giemalazar *templum Cairi maximum*, 20. *Gymnaſium in eo templo celebre*, 20
Giemen, *male per hanc vocem Syria intelligitur, cum Arabibus notet Arabiam felicem*, 69
Glires *in Ægypto copioſi & eſui grati*, 233, 234
Granatis (*ſyrupus de*) *inter leniter ſolventia præſtantiſſimus quomodo confíciatur*, 15

H

H. *Arabes habent triplex*, 86
Hæmorrhois, *ſerpens ſumme exitialis, cujus ſit figuræ, & quomodo interimat*, 211
Hebræi *in Ægypto plurimi ſunt, & plerique vectigalia publica conducunt*, 115
Hermodactylus *herba in Ægypto copioſa, ad podagricos & arthriticos dolores tollendos utiliſſima*, 183. *is, qui in Pharmacopeorum officinis reperitur, non eſt legitimus neque quidquam facultatis purgatoriæ habet*, 184, 185, 186. *an ſit ſpecies Colchici*, 188
Herniae *carnoſæ in Ægypto admodum ſunt frequentes*, 74, 75. *trium magnitudine inſignium exemplum*, 75
Hippopotamus *cujus ſit figuræ, animal Niliacum*, 245, 246, 247
Hirundines *duplicis generis in Ægypto inveniuntur*, 198
Horreum Ægypti *Cairi exſtructum*, 21. *ſingulo ſeptennio tritico repletur & quomodo per id tempus triticum illud conſervetur*, 21
Hyoſciamum album *circa Pyramidas magnas in ea planicie copioſum*, 179

J.

Jaſpides *in Ægypto varii generis naſcuntur plurimi*, 147. *optimi ex illis Heliotropii dicti*, 147. *inter illos quidam eſt, qui limonis ſucco tinctus ſponte hinc inde moveatur*, 147
Ibis *magno in honore apud Ægyptios habita, quod ſerpentes occidat*, 199. *Duplex in Ægypto invenitur candida una altera nigra*, 199. *Clyſteriorum uſum ab hac ave cognitum fuiſſe tradunt*, 199, 200
Ichneumon *veſpæ genus, quod Phalangium oppugnat*, 204, 205. *ſanguinis eſt expers*, 204
Ichneumon *ſive mus Pharaonis muris genus ſylveſtre cujus ſit figuræ & indolis*, 234. *mures mustelas feleſque occidit & ex rapina vivit*, 235. *naturale illius adverſus Crocodilum & Aſpides odium*, 235
Jeſrif *liber Arabicus linguæ Arabicæ declinationes continens*, 85
Inciſio Nili *quomodo & quam ob cauſſam fiat*, 9, 10. *ad hanc Chriſtianis accedere non licet*, 10

In-

Insecta *quæ in Ægypto vivunt animalia*, 204. *seqq.*
Inustionibus *Arabes homines a variis morbis præservant & obortos tollunt*, 120
Josephus, *ipsius domicilii vestigia Cairi supereſſe putant quidam*, 21. *quomodo septennio incorruptum conservaverit frumentum*, 21
Iris *in Ægyptum maxime defertur ex Græcia vel Syria*, 181. *Maximi ab Arabibus æstimatur*, 181
Judaici lapides *cur ita dicti & cujus sint figuræ*, 149. *quem in Medicina usum præstent*, 149
Juvencæ *sylvestres in Ægypto copiosæ & cujus sint figuræ*, 233. *utrum boves Africani an bubali veterum sint*, 233

K.

Kali *herba, ex qua usta parantur cineres, Ægyptus abundat*, 151, 158

L.

Lac *nutricis an probum sit super speculum experiuntur Ægyptii*, 126
Lacerta *Chalcidica, v. Seps.*
Lapides *varii generis qui in Ægypto reperiuntur*, 142, 143
Lactuca *Ægypto propria & aliis præstantior, an, sicuti Galenus voluit, deleteriam habeat frigiditatem*, 63, 64, 153, 154. *probi sanguinis effectrix est*, 64, 154
Lacus *in Ægypto hieme siccati, adveniente nova aqua ex aucto Nilo pisciculos generant ex putri materia esui jucundissimos*, 202
Lens & oriza *duo præcipui Turcarum cibi*, 68
Leones *in Ægypto non ita mansueti redduntur ut iis in venatu pro canibus utantur*; 237
Lepores *in Ægypto rari sunt*, 232
Ligustrum *in Medicina usum præstat maximum*, 125, 192. *aqua ex eo extracta ad quos morbos depellendos prosit*, 125, 192. *oleum quod ex eo conficitur*, 193
Lites *in Ægypto quomodo pertractantur* 91
Lotus Ægyptia *an Nymphææ species sit*, 161. *seqq. mirabiles illius ad solem conversiones*, 161. *Coctas ejus radices per tres menses comedunt Ægyptii*, 165 *an verum sit Ægyptios ex ejus seminibus panes conficere*, 165.
Lupi *in Ægypto duplo minores sunt*, 232
Lupus *inter Niloticos pisces primus, vitulo sæpe major quam vili vendatur pretio*, 201. *pinguissimus est & suavissimus*, 202

M

Maligni *morbi, quinam ita Medicis audiant*, 74
Maliffæ *gallinæ in civitate Cairi anserum magnitudine*, 27
Malva *in Ægypto copiosa*, 155. *ejus usus in Medicina*, 155, 156
Mahemetana religio *quid doceat*, 89. *seqq.*
Mahemetes *quomodo populo persuaserit legem, quam ipsi ferebat, ab ipso Deo esse præscriptam*, 97, 98
Margaritiferæ *quædam majores conchæ in Ægypto reperiuntur ex quibus vasa conficiuntur*, 106
Marianus (*Paulus*) *Gallorum in Ægypto consul, ipsius labor & industria de Christianis cum Romana Ecclesia conciliandis*, 103-109. *quomodo ob eam rem consulatu fuerit spoliatus & quid deinde de eo fuerit deliberatum*, 110. *seqq.*
Marmora *in Ægypto cujusque coloris plurima inveniuntur*, 142. *seqq.*
Mas, *Leguminis genus maximum in Medicina usum præstans*, 86. *utrum hoc pisa sint Galeni*, 69, 177
Masvè *urbs Cairum, Ægyptiis ita dicta. v. Cairum.*
Matarea *locus extra Cairum civitatem, & domuncula ibidem exstructa cultui B. Virginis celebris* 24
Mauri, *illorum religio*, 19. *seqq. illorum mo-*

monachi & coetus religiosi 93, 94. *jejunium singulis annis habent* 32. *dierum*, 95
Medici *in Ægypto non totam profitentur artem sed tantum quandam ejus partem*, 119, 128
Mensium suppressione *Ægyptiæ mulieres raro laborant*, 13
Meretrices *in Ægypto, quotannis certum vectigal Præfecto pendere debent*, 62
Mesuag *lignum quoddam quo Ægyptii dentes fricant*, 129, 195, 196
Metallica *quæ in Ægypto observantur medicamenta*, 150, 151
Milium *Æthiopicum in Ægypto copiosum, & cujus sit figuræ*. 177
Mithridatium *ad venerem angendam Ægyptus familiare neque valetudini nocet*, 133
Mogni *liber Arabicus de linguæ hujus elegantia agens*, 85
Morbi *in Ægypto grassantes*, 73-77 *& quomodo curentur*,
Morochtus *lapis terra quædam est quæ in Ægypto effoditur, & cur ita a Dioscoride vocetur*, 139-149. 150
Morphea *an nomen sit Arabicum*, 77
Mosch *planta similis Bammiæ, qua Mosch legitimum adulterant*, 191
Mugiles *varii generis in Nilo observantur*, 202
Muli *in Ægypto innumeri, & velocissimi*, 222
Mumice *medicata Ægyptiorum cadavera, & in perpetuum duratura, quibus condita sint*, 35. 36. *intus continent semper aliquod idolum*, 35. *differunt a corporibus arena siccatis*, 37
Mures *in Ægypto diversi generis copiosissimi*, 234
Mus Pharaonis *v. Ichneumon*
Muscæ *in Ægypto copiosæ & oculis molestissimæ*, 207

N.

Necromantia *in Ægypto maximopere exculta*. 87. 88
Nilus flumen *inundatione sua agros in Ægypto réddit fertiles* 6. *ipsius incrementum, dimensio, et incisio ad agros irrigandos*, 8. 9. 10. *ipsius Aquæ bonitas et præstantia, ususque in Medicina frequentissimus*, 11. 12. 13. 76. *duas ad usum ciborum radices producit et quænam sint illæ*, 161 170. *quosnam producat pisces*, 201. *seqq.*
Nitrum Ægyptiorum *an antiquis fuerit cognitum*, 141. *usum in Medicina præstat maximum*, 140 *sapor ejus pungens & amarus est*, 141 *duo ejus genera*, 141
Noctuæ *in Ægypto copiosissimæ*, 198
Nubes *servi apud Ægyptios vilissimi*, 52, 53
Nubia, *incolarum ibi fides summa*, 53 *serpentes ibi longissimi, hominis crassitie, capita instar bovis habentes, & herba ad illos fugandos*, 213
Nymphææ *pulvere ligustro mixto in febre ardente utuntur Ægyptii*, 125

O.

Oculos *quomodo Ægyptii ab inflammationibus præservant*, 127, 128
Onagri *uno armati cornu in Arabia multi*. 233
Ophylinus *serpens disciplinæ aptissimus & circulatoribus Ægyptiis ob id maxime utilis, cujus sit figuræ & quam miro procedat modo*, 213, 214, 215
Opium *Ægyptii eo ad augendam Venerem utuntur, sed tandem Atropiam parit*, 133. *alia ex eo ortæ mala*, 133
Oryza *Turcis in deliciis habita*, 61, 177

P.

Pantheræ *in Ægypto copiosæ & cujus sint figuræ*, 238 *longe animosiores sunt Pardo*, 238. *excrementum odoratum Zebetum*

Parpaver Ægypto naſcitur nigrum & album, 159. albi in Medicina uſus, 159, 160. ex nigro capitibus contuſis ſuccum exprimunt, quem pro opio venditant, 160, 179
Papyrus planta in Nilo flumine naſcens, 160
Pardi in Ægypto copioſi, cujus ſint figuræ & indolis, 237, 208. non facile cicurantur at circuratis ad venandas Gazellas utuntur, 238, 299
Periploca ubique locorum vivens planta.
Peſtilentes morbi quinam ſint, 73
Peſtis in Ægypto frequens & ut plurimum vehemens eſt, 74
Phalangium quomodo ab Ichneumone conficiatur, 204, 205
Philonium Ægyptii eo utuntur ad augendam Venerem, 133. miram in corpus humanum vim exſerit, 133-134. incommoda, quæ exinde oriuntur, 34
Ptyas Aſpidis ſerpentis ſpecies virus ſuum in hominem expuit, 207. ejus figura, 308. ab eo demorſi voluptate intereunt, 318
Piper longum planta in Ægypto copioſa, cujus ſit figuræ, 158
Piſces volantes in Ægypto, 198, 199
Piſces qui in Nilo flumine & Ægypti lacubus inveniuntur, 201. ſeqq. illorum ova ſale condita in vicinas mittuntur inſulas, 203
Piſciculorum mirabilis ex putri materia in lacubus Ægypti generatio, 202
Plantæ eſculentæ in Ægypto naſcentes, 153. ſeqq.
Podagra antiquata Ægyptii non laborant, 184. hermodactilus legitimus utiliſſimum contra illam remedium, 183 ſeqq.
Porphyrites in Ægypto copioſus, 143 ex hoc lapide columna Pompeji & aliæ quæ Cairi exſtant ſculptæ ſunt, 143
Potus quibus utuntur Ægyptii, 73-74.
Pſittaci in Ægyptum complures ex Æthiopia convehuntur, 200. majores diſciplinæ capaciores, 200
Pſyllium in Ægypto copioſum, 182. ſeminum illius in Medicina uſus præſtantiſſimus, 182
Pterygium, oculorum dolor, Ditré Arabibus non Zeber dictum 75
Pyramides Regum Ægyptiorum ſepulcra 28. duarum ex illis majorum deſcriptio, 28, 29. quomodo ad majoris ex illis duabus faſtigium adſcendatur, 29. qualis ad eam ingreſſus pateat, 29. quomodo ſeſe intus habeant, 30, 31 peteus ibidem repertus & ad quem uſum, 32. Minor altera Reginæ cujuſpiam eſſe creditur, ſed neque ingreſſum neque adſcenſum extrinſecus admittit, 33

R.

Ramices cujuſque generis morbi Ægypti ſunt patrii, 74, 75
Ranæ in Ægypto, excepta Peluſio & Damiata, non inveniuntur, 202
Raſſit oppidum antiquis Canopus dictum illius deſcriptio, 37, 31
Rhinoceros, ex ipſius cornu Ægyptii multi parant vaſcula, 56
Roſæ in Ægypto copioſæ 19. communium, quas vocant, in Medicina uſus, 10
Rupeum Alumen factitium in Ægyptio multo præſtantius eo, quod fit in Italia, 150

S.

Sal in Ægypto eſt optimum 140. in terræ ſuperficie creſcit, 140
Sapores qui tantum ſeptem numero eſſe voluerunt quoſnam intellexere, 141, 142
Sbechie campus extra urbem Cairum amoeniſſimus, 25
Scarificatio crurum apud Ægyptios adhucdum exercetur, 119
Schænanthus, Juncus odoratus in Arabia naſcitur omnium præſtantiſſimus, 181. cur flores illius non ita in magna copia ſuppetant, 182
Scholopendræ terreſtres in Ægypto copioſæ

pioſæ, 207
Scincus *animal amphibium in aqua & in terra vivens in Ægypto frequens*, 217. *illius ad venerem movendam vis maxima*, 217. *cujus ſit figuræ* 217, 118
Scoletitis, *lapis juxta radices montis Sinai naſcens, cujus ſit coloris & figuræ*, 141. *quem in Medicina uſum præſtet* 149
Scorpiones, *in Ægypto alii albicantes alii virides tertium genus non datur*, 205 *ictus illorum adeo exitiales ſunt ut nulla contra illos valeat antidotus*, 205, 206. *oleum ex illis ad Medicinæ uſum paratur*, 205. *Mauris ita familiares ſunt ut illos non lædant*, 206
Segetes *quando in Ægypto matureſcant*, 6
Seps *animal lacertoſum*, *& lacerta Chalcidica vocata, in Ægypto frequens, & an venenata ſit*, 215
Seps *ſive* Sepedo *ſerpens ſumme exitialis & quomodo interimat*, 211
Sepulcra *Ægyptiorum fuere cubicula intra ſaxeam Pyramidum planitiem excavata*, 34. *qualis ad ea pateat ingreſſus*, 35
Sergius, *primum Chriſtianus, Mahometanæ dein ſectæ auctor præcipuus* 97. *quomodo Mahometem in Lege ipſius promulganda adjuverit*, 97. *exitus ipſius miſerrimus*, 98
Serpentes *in Ægypto cujuſvis generis copioſi*, 217. *ſeqq. in Nubia provincia inveniuntur longiſſimi, hominis craſſitie, capita bovis inſtar habentes & herba ad illos fugandos ibi nata*, 213
Serpentes *quidam ab Ægyptiis comeduntur*, 71
Serpentinus Lapis, *cur ita dictus Jaſpis quidam parvus*, 147
Servæ *apud Ægyptios triplici colore diſtinguuntur, & quænam ſint pretioſiores*, 49, 50
Servos *inter opes Ægyptii numerant*, 49. *plerique ex Nubia & Abiſſia in Ægyptum convehuntur*, 49
Seſami *planta in Ægypto copioſa*, 158 *oleum ex eo confectum præſtantius eſt oleo olearum*, 158
Sife *liber in Medicina optimus & utiliſſimus*, 118
Silex *quidam in Ægypti montibus naſcitur, in quo ſilvæ herbarum & arborum quaſi pictæ imagines cernuntur*, 146, 147
Simiæ *varii generis ex Æthiopia in Ægyptum mercaturæ cauſſa convehuntur*, 240. *variæ illarum figuræ*, 241, 242
Sitis *in Ægypto aegris eſt periculoſiſſima* 76
Smaragdi *pretioſiſſimi in Ægypto ubi effodiantur*, 144, 145. *an in compoſitione electuarii de gemmis præſcribantur*, 145. *quomodo ab Arabibus vocentur*, 145
Solum *in quibusdam Ægypti locis ita nitroſum eſt, ut corpora ibi ſepulta in Mumias ſiccentur*, 37
Sone *horreum Ægypti Cairi exſtructum v. horreum.*
Sphinx *Ægyptia, ipſius deſcriptio*, 33, 34
Spodium *Metallicum quem in Medicina præſtet uſum*, 150, 151
Stirpes *quæ in Ægypto naſcuntur*, 152, 153
Stomachi *cruditate plerique Ægyptii laborant*, 77
Struthiocameli *in Ægypto copioſiſſimi* 200
Sues *in Ægypto copioſi & cur a Turcis in ſtabulis una cum equis alantur*, 230

INDEX

T.

Tabaxir, *caute hæc vox a Medicis accipi debet propter duplicem ejus significationem*, 150, 151
Tamaxir *gummi Indicum, facultatem habens refrigeratoriam*, 150, 151
Terræ, *quas Ægyptus producit*, 137, 138, 139
Testudines *in Nilo nascuntur omnium maximæ*, 202. *ex operimentis ejus usque quaquam rotundis & amplis clypeos conficiunt*, 203. *Illarum caro si bene coquatur esui suavis est*, 203
Theriaca *Ægyptiorum quomodo paretur*, 209 *an sitim inducat*, 210, 211
Theriaca *ad Venerem augendam Ægytiis familiaris*, 133. *qui ea utuntur secunda utuntur valetudine*, 133
Tigres *lœenis sunt quam simillimæ & nunquam mansuefiunt*, 237
Triphera, *variis ex ea compositionibus ad augendam Venerem utuntur Ægyptii*, 133
Triticum *quomodo in horreo Cairi exstructo per septennium conservetur*, 21 *quo tempore in Ægypto seratur*, 175
Trochilus *avicula, quemadmodum ea Crocodilum ab excrementis carnium in dentibus relictis purget, & volente os claudere Crocodilo iterum evadat*, 219
Turdi *cur de Ægypto pinguissimi* 148

V.

Vasa *apud Æyptios in usu sunt murrhina*. 55. *an in Ægypto conficiantur*, 145 *ex qua materia fiant* 145, 146. *vim continent venenis resistendi*, 146
Venæ *sectio ad præveniendos morbos in Ægypto est frequentissima*, 126
Venereos *actus quibus remediis Ægyptii excitent*, 130 *seqq.* 180
Veneris *dies apud Mauros veluti festus est*, 92. *ea die omnes Christiani Alexandriæ a Mauris ædibus suis orandi tempore includuntur, & quam ob caussam*, 92, 93
erveces *quidam in Ægypto usque adeo pingues habent caudas ut ad juvandum incessum rotulas ligneas illis supponent*, 229. *illorum caro omnibus aliis præfertur*, 228
Vespæ *in Ægypto copiosæ*, 204
Viæ *Cairi quæ sunt innumeræ noctu portis ligneis clauduntur*, 24
Vinum *Ægyptiis ex Mahemetis Lege non nisi coctum bibere licet*, 90. 91 *si biberint qua poena afficiantur* 126
Vipera *Avicennæ legitima cujus sit figuræ & coloris* 210
Vitiligo *alba & nigra in Ægypto est frequens*, 77. *quomodo utraque Arabibus dicatur*, 77
Ursi *in Ægypto non ita copiosi & ovibus non majores neque ita feri*, 232
Vulpes *in Ægypto non ita copiosi & minores*, 232

Z.

Zamarut, *perperam creditur ab Arabibus ita dici smaragdus* 145
Zebetum, *ita dicitur excrementum odoratum, quod Pantheræ ex testibus exsudant*, 239. *maximo venditur pretio & plerumque adulteratur*, 239

185

2105

Egypt